BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXI
A
14
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CORNELII VAN ECK

JCti & Anteceſſoris,

THESES JURIS CONTROVERSI,

SIVE

DISPUTATIONUM ANNIVERSARIARUM SECUNDUM ORDINEM DIGESTORUM,

In Uſum Auditorum ſuorum in Collegio Diſputatorio.

Accedit Ejuſdem Diſſertatio

DE

SEPTEM DAMNATIS LEGIBUS PANDECTARUM,

SEU

CRUCIBUS JURISCONSULTORUM.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM DE PECKER,
MDCCLIX.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

Digitized by Google

PRÆFATIO.

CORNELIUS VAN ECK

Auditoribus ſuis

S. P. D.

Cum Jurisprudentia, ſingulari Divini Numinis in genus humanum beneficentiâ, cœlitus demiſſa ſit, ad componendas & decidendas hominum controverſias, quibus pax & concordia, præcipuum & ſanctiſſimum Civilis Societatis vinculum, turbari ſolet, ſummopere eſſet e re publicâ, certis nos & extra omnem dubitationis aleam poſitis legibus ac moribus uti.

Sed pro naturali diſſentiendi libidine, innato humani pectoris malo, Juris quoque Interpretes, quos minime decebat, & olim & nunc in partes contrarias diſceſſerunt, & civilem ſapientiam, litibus tollendis aptam natam, nimiâ quadam & ferè incredibili opinionum diſſidentium varietate & multitudine corruperunt ac contaminarunt, & ex certo juſtitiæ oraculo, ac concordiæ templo tantum non fœcundum diſcordiarum ſeminarium, & litium nutriculam fecerunt.

Vix enim aureo illo Auguſti ſeculo Juriſprudentia noſtra verticem attollere cœperat, cum natæ JCtorum Sectæ, quas capitalia, ſed diverſiſſima Labeonis & Capitonis ingenia produxerunt, diſcordiarum ſemina in Juris Studioſos, partibus tantorum Præceptorum addictos, propagarunt.

Sed cum ſequuti JCti progreſſu temporis animadverterent, illam diſſen-

ſentiendi, & omnia in dubium vocandi libidinem, Juriſprudentiam non ſine periculo humanæ ſocietatis, cui illa ad gubernaculum ſedet, in contemtum adducere, id operam dederunt, ut contrarias Labeonis, & Capitonis, aliorumque, qui ſe illorum ſectis emancipaverant, ſententias, vel mediâ viâ electâ, tanquam erciſcundi & miſcelliones, conciliarent, vel, deteriore exploſâ, veriorem, communi quaſi conſenſu opinionem, tanquam in vim legis, reciperent, & ſuffragii ſui prærogativâ firmarent, ac commendarent.

Quam eruendæ, & ab errore diſtinguendæ veritatis rationem, non aliter ſe aſſequi poſſe arbitrabantur prudentiſſimi mortalium, quam ſi de rebus controverſis ſine affectu, & partium ſtudio placide diſputarent ac diſſererent. Ut enim veteres illæ *Diſputationes Fori*, quas, ut Pomponius indicat, flagitabant legum

xii. Tabularum obſcuritas, & de jure controverſo, ac gravibus & perplexis quæſtionibus concertationes, ſive in judicio, ſive extra judicium factæ, non minimam priſcis illis diviſionibus ac ſectis cauſam præbuiſſe videntur; ita poſteriores JCti, in quibus ſtudium illud partium refrigeratum erat, diſputando de rebus dubiis, & diſquirendo potiſſimum effecerunt, ut certum nobis jus, & æquabile relinquerent. Unde Venulei Saturnini, & Ulpiani Libri *Diſputationum*, ſeu, ut Diocletianus & Maximianus (*a*) eos vocant, *Diſceptationum publicarum libri* originem ducunt, quorum monumentorum reliquiæ beneficio Juſtiniani hodieque in manibus noſtris verſantur, & non contemnendam juris, quo utimur, partem conſtituunt. Sic Scævola, Modeſtinus aliique (*b*) notan-

(*a*) *l.* 11. *C. d. Quæſtion.*
(*b*) *l.* 19. *ff. de Liber. & poſtum l.* 18. *§.* 26. *ff. d. Muner. & bon.*

notando, *diſputandoque*, *plurima optimâ ratione conſtituiſſe leguntur.* Atque ita collatis argumentis, & ad legum, bonique & æqui amuſſim exactis dubitandi rationibus, tandem ſententia pluribus probata *recipiebatur*, & uſu populi firmata, vim legis conſequebatur. Quo pertinent illæ toties in libris juris R. legentibus obviæ formulæ, quibus auctores noſtri, id quod docent, *poſt magnas varietates* tandem *receptum eſſe*, & *obtinuiſſe* teſtantur. (*a*).

Juſtinianus autem cum Juriſprudentiam, per bis mille libros, & aliquot centena millia verſuum diffuſam, ac mole laborantem ſuâ, reſectis ſuperfluis, obſoletis, & ſimilibus, in ordinem cogere conſtituiſſet; id ſibi negotii credidit primum dari,

(*a*) *l. ult. ff. Pro legat. l.* 32. *d. O. & A. l.* 2. §. 1. *Vi bonor. raptor. l. un. C. Quand. civ. act. crimin. præjud. &c.*

ctari, ut nullam diſcordiam, aut antinomiam, nullamque adeo diſputandi materiam, cui tollendæ ſuperiorum Cæſarum & JCtorum diligentiam parem non fuiſſe videbat, reliquam faceret. Quod utinam tam feliciter præſtitiſſet, quam magnifice promittit & prædicat ſacratiſſimus & ſapientiſſimus, ſed Triboniano ſuo nimis credulus, Imperator! Quanquam enim nunquam ab animo meo impetrare potui, ut ſubſcriberem illorum ſententiæ, qui, exemplo nimium periculoſo, paſſim ſine fine modoque Tribonianum dormitaſſe clamitant; ita, ut, quod res eſt, dicam, non tam præclare ſentio de Tribonianea juris compoſitione, nec tam feliciter cum arte noſtrâ actum eſſe exiſtimo, ut nullam diſſenſionem, aut diſcrepantiam in vaſto illo & ſpiſſo volumine, e tot Cæſarum, & JCtorum dictis ſcriptiſque, a tot compilatoribus non eâdem ubique fide, peritiâ, diligentiâ conſarcinato

ſupereſſe exiſtimem. Quâ de re operæ pretium eſt audire verba Gulielmi Budæi (*a*), ſolidâ Juris Romani & omnium humaniorum diſciplinarum eruditione politiſſimi Viri, quem unum inſtar omnium ad partes voco: „ Neque vero ignoro, *inquit*, hoc „ dictum Laurentii (*Vallæ*) iis per„ ſuaderi non poſſe, qui Juſtiniano „ credunt nullas in Pandectis duas „ leges ſibi contrarias eſſe, hoc eſt, „ ut verbo ejus utar, nullam anti„ nomiam. Sic enim inquit in *l.* 1. „ *C. d. jure vet. enucl.* Quo in loco „ Accurſius annotandum cenſuit, „ nulla duo dicta in jure aut contra„ ria, aut ſimilia eſſe. Quod con„ niventibus oculis credi oportere, „ legulei cenſent, nec ſine ingenti „ piaculo in dubium revocari poſſe „ &c. Nonnulla tamen & alia loca „ in Pandectis adnotaſſe mihi videor,

(*a*) *In Annotationibus Prioribus in Pandect. ad ult. d. Ædil. edict.*

„ or, in quibus conſarcinandis Tri-
„ bonianus dormitaſſe deprehendi-
„ tur &c. Niſi iſta & hujuſmodi
„ contraria omnino inter ſe, atque
„ etiam pugnantia ſint, non video
„ cur ajentia & negantia pulchre
„ convenire non poſſint. Nec ta-
„ men ignoro nihil tam diſſonum
„ eſſe, quod Accurſius interpretatio-
„ ne illâ ariolatrice, & deſultoriâ,
„ ut ita dicam, levitate a Martino
„ in Johannem, & inde rurſus in
„ Azonem aut Bulgarum, ac ſubin-
„ de in alium, atque alium tranſeun-
„ di, & vero in Apollinem, ſi aliud
„ comminiſci non queat, conſenta-
„ neum etiam & quadrans eſſe,
„ perſuadere iis non poſſit, qui lege
„ Pythagoricâ in auctoritatem ejus
„ a præceptoribus adacti ſunt."

Hactenus ille. Quæ quanquam vera ſint, eſt tamen quod nobis gratulemur, Juriſprudentiam noſtram nunquam, niſi in duas eaſque minimè diuturnas ſectas, Proculejanam, &

& Sabinianam, fuiſſe diviſam, cum
reliquæ diſciplinæ in partes ſectaſque
tantum non innumeras, ut olim,
ta & nunc ſint divulſæ ac diſtractæ.
Cum autem, etiam his ipſis tempo-
ribus, non tam legum, quam Inter-
pretum, eruditionis fiduciâ, & no-
vandi ſtudio, ad captandum ingenii
plauſum, a vero legum ſenſu, &
communi ſententiâ ſæpe, ubi mini-
ne neceſſe eſt, recedentium vitio
factum ſit, ut omnis opinionum va-
rietas, omnia diſſenſionum & con-
tentionum ſemina exſtirpari haud
potuerint, nihil Vobis, Nobiliſſimi
Juvenes, poſitis tyrocinii rudimen-
tis, & juris *certi*, ac *poſitivi*, quod
vocant, apparatu probe inſtructis,
utilius, nihil ad conſummandos, &
ad optatam ſtudiorum metam per-
ducendos profectus veſtros accom-
modatius excogitari poteſt, quam ſi
Diſputationibus de Jure Controverſo
publice privatimque propoſitis, hanc
interpretum varietatem, ſine affectu
&

& contradicendi ſtudio, ad legum & rationis ſtateram expendatis, eamque e pluribus diſſidentibus, ut veriorem, eligatis ſententiam, quam & legum verbis, & legislatorum menti, & ſenſui communi deprehendetis eſſe quam maxime convenientem, non tam ad Doctorum idem ſentientium, & ſuffragiorum, quæ in foro numeranda, in Academiis examinanda ſunt, copiam, quam ad rationum legumque pondus & momenta attendentes, quod ipſe Juſtinianus monet, (*a*) quando *ex multitudine auctorum, quod melius & æquius eſt, judicare nos vetat: cum poſſit unius forſitan & deterioris ſententia & multas & majores in aliquâ parte ſuperare.* Quod ſi veritatem in jure non legibus, non rationibus, ſed Interpretum numero & auctoritate metiri lubeat, juſtus metus eſt, ne idem Vobis eveniat, quod Demiphoni Terentiano, qui, cum ex tri-

(*a*) *l.* 1. *§.* 6. *C. d. Vet. jur. enucl.*

Digitized by Google

ibus JCtis, in conſilium adhibitis; ɔnus negaſſet, alter affirmaſſet, ter-us deliberandum cenſuiſſet, *Fecis*, inquit, *probe*, *incertior ſum multo*, *quam dudum*.

Nec eſt, quod Vos ab hoc inſtiuto deterreat Virorum quorundam Eruditiſſimorum (*a*) auctoritas; qui aras eſſe volunt Diſputationes Acalemicas, „ in quibus negant erui ve-„ ritatem: cum nemo verius dicen-„ ti aſſentiatur; quæri modo lau-„ dem ingenii vel peritiæ; in quâ „ contentione laudis creſcere rixas, „ & convicia, & ſimultates, inge-„ nium contra veritatem ſumere ar-„ ma, & quæ ſunt id genus alia in contemtum atque invidiam hujus utiliſſimi conſilii ingenioſe conficta. Nec deſunt alii, qui ex nimio altercandi ac diſputandi ſtudio adoleſcentes neſcio quam confidentiam, & audaciam conviciandi, cavillandi, calumniandi induere; litigandi potius

(*a*) *V. Ludov. Vives de Tradendis Diſciplinis lib.* 2.

tius temeritatem ac licentiam, quam diſputandi, & veri inveſtigandi viam addiſcere; denique rabulas potius locutuleios ac leguleios, & inanium verborum funditatores, quàm ſolidos JCtos evadere, affirmant.

Sed bene habet, quod illi Diſputationum vitia & abuſum, nulli unquam bono interpreti probatum, non uſum, quem Vobis, exemplo tot præſtantiſſimorum JCtorum, commendamus, contemnunt: quis enim non videt aliud eſſe Diſputare, aliud calumniari, & cavillari? quæ Diſputationum vitia ita & Julianus, & Ulpianus, & Paulus (*a*) deſcribunt, ut aperte condemnent, præcipue Paulus, quando *non oportere jus civile calumniari* reſpondet, *neque verba captari*, *ſed*, *quâ mente quid dicatur*, *animadvertere convenire*. Quis non intelligit Diſputantium vitia, non eſſe Diſputationibus tribuenda, qui-

(*a*) *l.* 177. *d. Verb. ſign. l.* 65. *d. Reg. jur. l. pen. ff. Ad exhib.*

uibus nihil ad acuendum judicium, ihil ad comparandam eloquentiam ɔrenſem, nihil denique ad ſolidam ıris intelligentiam conſequendam xcogitari poteſt aptius, vel accomıodatius? Ut nimium altercando veitas amittitur, ita modice modeſteue diſputando eruitur, & diſputata ıagis ſplendeſcit.

Quæ Diſputationum vitia & ſcopuut evitentur, in primis cavendum ſt, ne Vos his Diſputationum de ure controverſo exercitiis, quibus ıdicris velitationibus tam pulchre ɪræluditur juſtis certaminibus fori, emere & illotis manibus immiſceatis, nteaquam præcepta Juris Certi peıitus in ſuccum & ſanguinem verteitis, & illis probe incoctum & imıutum pectus ad cathedram afferre ɔoſſitis. Ut enim Juſtinianus ſtudioɔs Juris non niſi quarto ſtudiorum nno ad legum nodos, & ænigmata ɔlvenda admittere, & inde λύτας ıppellari voluit, ſic minime decet

Vos

Vos animum ad diſputandum appellere, antequam quid & quale ſit id, de quo diſputatur, ex Inſtitutionum & Pandectarum principiis intelligatis. Sine quo præſidio & apparatu Diſputare, nihil aliud eſt, quam garrire, ineptire, & verba ſine intellectu fundere. „Deridenda, ut vere Cicero de
„ ſuo Oratore ait (*a*), arrogantia eſt,
„ in minoribus navigiis rudem eſſe ſe
„ confiteri, & quinqueremes aut
„ etiam majores gubernare didiciſſe.
„ Neque enim facile is, qui duorum
„ ſcalmorum naviculam in portu e-
„ verterit, in Euxino mari Argo-
„ nautarum navem gubernarit.

Tum & illud videndum eſt, ne omnia, etiam liquidiſſimi Juris ſcita in dubium vocemus, & ipſam Themidem, tota quanta eſt, obtorto quaſi collo, ad infidum ſæpe rationis tribunal rapiamus. Quod quid aliud eſt, quam leges nimis callidâ interpretatione eludere, & vincula ſocietatis ci-

(*a*) *lib.* I. *de Orat. cap.* 38.

civilis convellere? Qui enim hanc interpretandi, & diſcendi jura viam inſiſtunt, ut ſemper ſolam rationem ducem ſequi, & etiam de certis atque indubitatis juris præceptis dubitare, atque omnia in controverſiarum & diſputationum pericula adducere audeant, næ illi intempeſtivis ſuis ratiocinationibus nihil ſæpe aliud conſequuntur, quam ut ſine lege loqui, & cum ratione inſanire videantur. Menedemum Heretrienſem dixiſſe ferunt, plurimos eorum, qui ad capiendum ingenii cultum Athenas navigabant, primum Sapientes, deinde Philoſophos, tum Rhetores, denique progreſſu temporis fieri Idiotas, & omnium rerum ignaros. Idem de illis nimium, ubi minime decet, ingenioſis juris Interpretibus & Studioſis, qui intempeſtivæ rationis abuſu leges calumniantur, & Juriſprudentiam corrumpunt, vere affirmari poſſe videtur. *Multa jure civili contra rationem diſputandi, pro utilitate communi*, quæ juſti prope mater, & æqui

eſt, *recepta eſſe, nec omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, rationem reddi poſſe*, docet Julianus noſter (*a*), *ideoque rationes eorum, quæ conſtituuntur*, ſæpe *inquiri non oportere, ne multa ex his, quæ certa ſunt, ſubvertantur*, auctor eſt Neratius (*b*). Plato præſtantiſſimam legem eſſe cenſuit, quæ vetat, ne juvenum quiſquam in leges inquirere audeat, & quænam bene, quænam ſecus conſtitutæ ſint, definire; utpote quarum ratio ſæpe non melius conſtat, quam ſi nulli, & a nullo reddatur. Si lex ſit dura, ſi ratione, ut videtur, deſtituta, modo ita ſcripta ſit, & extra omnem dubitationis aleam poſita, nobis obſequii gloria relicta eſt. Soli Deo, ſummo legislatori, &, qui Dei in his terris perſonam gerunt, Principibus convenit illud

Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas

Cau-

(*a*) In *l.* 51. §. *ult. ff. Ad L. Aquil. l.* 20. *ff. d. Legib.*
(*b*) In *l.* 21. *ff. d. Legib.*

Cauſæ itaque legum & rationes, quæ animam legum conſtituunt, diligenter exquirendæ ſunt, ſed ita, ut de ſolo jure, vere inter melioris notæ Interpretes controverſo, diſputandum ſit; ne vel nimis arroganti fiduciâ omnium nos rationem invenire poſſe exiſtimemus, vel in manifeſto legis certæ, & rationis incertæ conflictu, rationi primas deferamus; quâ ipſâ magiſtrâ certum eſt, Dominæ potius imperanti, quam ancillæ ſuadenti eſſe obtemperandum, ne nubem pro Junone amplectamur, &, ut proci Penelopes, relictâ herâ, ſervæ nos imperio & amoribus penitus addicamus.

Denique danda opera eſt; ne in his Diſputationum Exercitationibus, quæ ſine neceſſariâ logice, & ſyllogiſtice ratiocinandi peritiâ ſperatum uſum fructumque præſtare nequeunt, inanem ac fallacem ſophiſticam, & vanam garrulitatem, pro verâ dialecticâ, cujus ope conſilio tantum in arte noſtrâ profecit Labeo, ſectemini.

Quid enim indignius eſt, quam legum majeſtatem, quâ nihil majus & ſanctius eſt, intra ſpinoſas fallacias; & Chryſippæos argumentorum nodos concludere?

Hos ſcopulos, hunc abuſum ſi caveatis, hunc Diſputationum apparatum ſi Vobis comparaveritis, nunquam Vos pœnitebit, eandem in Diſceptationibus Juris vere Controverſi, operam poſuiſſe, & diligentiam, quam in Principiis juris certi collocatis. Hanc jura interpretandi rationem ſemper ſumma cum auditorum utilitate ſecuti ſunt, quotquot de Jurisprudentiâ in priſtinam dignitatem reſtituendâ vel olim cogitarunt, vel hodieque ſolliciti ſunt. Horum ego æmulari atque imitari diligentiam pro virili conatus ſum, ex quo juris docendi provincia mihi demandata eſt. Cujus conſilii cum in dies ſingulos majorem fructum & ipſe percipiam, & Vos, Nobiliſſimi Auditores, percipere intelligam; mei officii eſſe exiſtimavi, aliquod Vobis

quan-

quanquam perexiguum, harum Exercitationum ſpecimen exhibere in his, quas videtis, Theſibus Juris Controverſi, quas nudas ſine nullâ pompâ, ſine ullo verborum apparatu, Vobis offero, ſingulis octiduis, vel privatim, ſi ita placet, vel potius, ſi mihi creditis, publice, apertis foribus, & levato velo ventilandas. Sic enim & me iterum iterumque has poſitiones ſcribendi, & Vos deſcribendi onere levabo, & ſine ſumtu, ſine magno labore aſſequemur finem, ac ſcopum ſpiſſarum & verboſarum Diſputationum; ſcilicet judicii acumen, differendi copiam, & promptitudinem, facilitatemque, ac conſtantiam; quæ dotes, ſi modeſtia & diligentia accedant, temeritas & inflata confidentia abſint, vel præcipue veros JCtos commendant, & ab ignavâ rabularum turbâ ſecernunt.

Nec vereor, ne Vos hac compendiariâ diſputandi ratione viâque impediam, quo minus ad defendendas majoris operis & momenti Diſſerta-

tiones, vel a me, vel a Vobis ipſis, ut non modo linguam, ſed & ſtilum exerceatis, pro re natâ componendas, in arenam deſcendatis; cum perſuaſum habeam, & experientiâ magiſtrâ, in Illuſtri Friſiorum Academiâ mihi diſcere datum ſit, nullam poſſe iniri rationem, quâ facilius & felicius juvenes ad magna nati excitantur & exſtimulantur ad honeſtam ſtudiorum æmulationem, adeoque ad audendum aliquid majoris momenti, quam his ipſis, quas diſceptandas propono, Juris Controverſi Theſibus, jam olim magnam partem, antequam in hanc Academiam vocatus eſſem, publice privatimque, me præſide, defenſis, in quibus meæ famæ, quæ fruſtra ex id genus opuſculis captatur, & exſpectatur, ſecurus, nil niſi veſtræ utilitati velificari volui. Quare mihi & alium in hoc opuſculo ſcopum quærendum cenſui & finem. Videlicet ut ſecundum ductum & filum harum Theſium, etiam in Prælectionibus Acade-

mi-

micis, quando Vos alterius forte argumenti tædium ceperit, ut amant alterna Camenæ, Vobis præcipuas Juris noſtri controverſias ſolus, & ſine adverſario ſubinde explicare poſſim. Quâ in re, ſi nihil aliud, certe varietas Vos delectabit, & ſine nauſeâ alliciet in Auditoria Academica, & ad Lectiones Publicas debitâ frequentiâ & aſſiduitate ſectandas, quæ non eâ, quâ decet veros Themidis cultores, ubique & ab omnibus reverentiâ habentur. Cum tamen nemo adeo ſit hoſpes in re literariâ, ut neſciat omnes omnium artium, & diſciplinarum Profeſſores, qui aliquam famæ rationem habent, paratiores ſemper ad Publicas, quam ad Privatas Lectiones accedere, adeoque longe majorem Vos ex Diſſertationibus Academicis, utpote ſeveriore limâ perpolitis & elaboratis, quam ex domeſticis Scholis & Collegiis, quæ vocant, utilitatem percipere poſſe; maxime, ſi, ut oportet, & ea Ju-

ris principia tyrones audiant, unde eos, quantum proficiant, non pœniteat, & ea exponantur profectioribus, quæ profectibus ſuis augendis & promovendis non inutilia eſſe experiantur. Quam docendi publice privatimque rationem & hactenus ſecutus ſum, & porro ſequi certum eſt. Valete, & mihi veſtrâ diligentiâ & aſſiduitate, quâ Doctori Academico nulla major gloria contingere poteſt, in publicis privatisque Exercitationibus, ſtimulum addere, & meam veſtra ſtudia adjuvandi voluntatem ad majora excitare pergite.

Dabam Trajecti ad Rhenum, primum pridie Iduum Febr. A. 1694. iterum ipſis Kalendis Decembris A. 1699.

COR-

Google

CORNELII VAN ECK,

JCti & Anteceſſoris,

THESES
JURIS CONTROVERSI,

SIVE

DISPUTATIONUM ANNIVERSARIARUM SECUNDUM ORDINEM DIGESTORUM,

In Uſum Auditorum ſuorum in Collegio Diſputatorio.

LIBER I.

THES. I.

JUſtitiæ definitio, ab Ulpiano in *l.* 10. *d. Juſt. & jure*, tradita, adeo eſt accurata, ut nihil ad ejus perfectionem merito deſiderari poſſit.

II.

In quâ Definitione non *Divina*, ſed *Humana*;

III.

Non tantum *Particularis*, aut *Univerſalis*, ſed utraque tam Univerſalis, quam Particularis Juſtitia contineri videtur.

IV.

Jus Naturale in *l.* 1. §. 3 *d. Juſt. & jur.* non ſatis accurate definitur, *Jus, quod natura omnia animalia docuit*:

V.

Cum nec Natura, nec Ratio Naturalis, ſed ſolus Deus O. M. ſit verus auctor Juris naturalis.

VI.

Rectius itaque definiri videtur Jus naturale, quod ſit *Jus, quod Deus per naturam (id eſt, indolem uniuscujusque, divinæ voluntatis intelligentem,) conſtituit, & omnium mortalium cordibus impreſſit ac conſignavit.*

VII.

Si autem jus naturale eſt conditum a Deo, ut certe eſt; Ea autem, quæ Deum *immediate* auctorem habent, nec in melius, nec in deterius mutari poſſunt; conſequitur jus naturæ, quatenus aliquid jubet vel prohibet, prorſus eſſe immutabile, adeo ut ne ab ipſo quidem Deo mutari poſſit.

VIII.

Diviſio Juris Gentium in Primævum & Secundarium ut excuſari & ferri poteſt, ita minime eſt neceſſaria.

IX.

Violentiæ & injuriæ propulſatio rectius Juri Naturali, quam Juri Gentium adſcribitur.

X.

Quæ propulſatio, ſalvo moderamine inculpatæ tutelæ, permiſſa eſt, etiam cum nece adverſarii, tam ob defenſionem pudicitiæ, quam vitæ, *l.* 3. *d. Juſt. & jur. l.* 4 *l.* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil. l.* 9. *ad L. Corn. d. ſicar. l.* 8. §. 2. *Quod met.* vide Ciceron. in *Orat. pro Milone*, & Quintil. in *Declam.* 3.

XI.

Non autem ob ſolam defenſionem bonorum, *arg. dd. ll. l.* 52. §. 1. *ad L. Aquil.* quo ſenſu intelligenda eſt *d. l.* 3. *d. Juſt. & jure. l.* 1. *C. Unde vi.*

XII.

Bella in *l.* 5. *eod. tit.* recte primo loco referuntur ad Jus Gentium.

XIII.

In definitione Ulpiani in *l.* 1. *eod. tit.* quâ Jus dicitur *Ars boni & æqui*, Bonum & Æquum non differunt.

XIV.

X I V.

Sed Æquitas toto cælo differt ab Arte Boni & Æqui.

X V.

In definitione legis in *l.* 1. *ff. d. Legib.* quâ lex deſcribitur, *Delictorum quæ ſponte vel ignorantiâ committuntur, coërcitio*, nihil eſt quod vel rationi vel juri adverſatur.

X V I.

Principes, ſummam poteſtatem habentes, non ſolum ſolemnitatibus legum, ſed ipſis legibus, earumque ſanctionibus ſoluti ſunt.

X V I I.

Tales fuere Auguſtus, eumque ſecuti Cæſares Romani, qui per legem Regiam & legibus ſoluti fuerunt, & plenam legum ferendarum poteſtatem conſecuti ſunt. *l.* 1. *d. Conſt. Princ. l.* 31. *d. Legib.* §. 6. *Inſt. d. Jure Nat. l.* 1. §. 7. *C. d. J. vet. enucl.* Vide Tacit. 1. *Annal. c.* 1. Sueton. in *Tib. c.* 11. in *Calig. c.* 14. Dion. Caſſ. *lib.* 53.

X V I I I.

Quæ lex Regia non ab ullo Rege Romano vel dicta vel lata eſt, ut Hottomannus aliique contendunt, ſed lata a Populo Romano, dicta a ſubjectâ materiâ, id eſt, a ſummâ & fere Regiâ poteſtate a Sena-

Senatu Populoque Romano in Auguſtum, ejusque ſucceſſores translatâ. *dd. ll.*

X I X.

Cum Princeps civilibus legibus ſit ſolutus, quas vel ipſe, vel deceſſores ejus, vel alii Principes tulerunt, quia reſpectu illarum non eſt ſubditus, conſequitur eum legibus divinis & naturalibus teneri: quia in illis, ut ſubditus, agnoſcit ſuperiorem, ſcilicet Deum.

X X.

Quare Princeps non poteſt ſine juſtâ cauſâ civibus auferre jus illis a Deo vel Natura quæſitum.

X X I.

Adeoque jus Regium, quod deſcribitur 1 *Sam.* 8. *v.* 9. 11. non eſt jus, ſed mos, & inſtitutum a Principibus uſurpari ſolitum.

X X I I.

SCta ante occupatam Rempublicam non habuerunt vim legis.

X X I I I.

Ad Conſuetudinem introducendam ſufficiunt etiam actus extrajudiciales, quorum numerus arbitrio judicis æſtimandus eſt, cum nulla lege ſit definitus.

XXIV.

XXIV.

Sicut nec ullum certum tempus introducendæ Conſuetudini eſt præſcriptum.

XXV.

Effectus Conſuetudinis eſt idem, qui Legis, adeoque Conſuetudo poſterior abrogat Legem priorem. *l.* 32. *ff. d. Legib.*

XXVI.

Quicquid fit contra Legem aut Conſuetudinem, non eſt ſemper ipſo jure nullum.

XXVII.

Legum interpretatio non competit ſoli Principi, ſed & Judicibus, & JCtis.

XXVIII.

Servitus nec Rationi Naturali, nec Juri Divino, aut Gentium eſt contraria, ſed maxime conſentanea.

XXIX.

Patria poteſtas potius eſt Juris Civilis, quam Juris Gentium.

XXX.

Non eſt a ratione alienum, quod illa poteſtas Matri negata, ſoli autem Patri conceſſa ſit.

XXXI.

XXXI.

Lex 2. *C. de Patrib. qui fil. diſtr.* non adverſatur ſanæ rationi, nec ullâ indiget emendatione.

XXXII.

Legitimatio non eſt actus legitimus.

XXXIII.

Ad legitimationem, per ſubſequens matrimonium, ſufficit etiam matrimonium in articulo mortis contractum.

XXXIV.

Nec ad illam deſiderantur tabulæ Nuptiales, ſeu Inſtrumenta dotalia, *arg. l.* 4. *d. Fid. inſtr. l.* 9. *C. d. Nupt. l.* 11. *pr. C. d. Repud.*

XXXV.

Adoptio filii plebei, facta a patre Nobili, hunc habet effectum, ut filius fiat Nobilis, *arg. l.* 6. *ff. d. Senator. l.* 13. *l.* 44. *d. Adopt.*

XXXVI.

In quâ *lege* 44. pro, *etiam jure legis nepos ſuus eſſet, quaſi ex Lucio (puta) filio ſuo &c.* nullus dubito, quin cum Duareno legendum ſit, *tam jure legeque nepos ſuus eſſet, quam ſi ex Lucio filio ſuo, & matrefamilias ejus natus eſſet.* v. Gell. 5. *Noct. Attic. c.* 19.

XXXVII.

XXXVII.

Adoptio teſtamento facta, cujus frequens apud Tacitum, Suetonium aliosque occurrit mentio, non fuit unquam modus conſtituendæ patriæ poteſtatis.

XXXVIII.

Quarta Divi Pii, impuberi arrogato, ſine juſtâ cauſâ emancipato vel exheredato debita, videtur eſſe Quarta omnium bonorum patris arrogatoris, *arg.* §. 3. *I. l.* 22. *pr. ff. d. Adopt. l.* 8. §. 15. *d. Inoff. teſt.*

XXXIX.

Littora maris recte cenſentur numero rerum communium. §. 1. *Inſt. l.* 2. §. 1. *d. R. Div.*

XL.

Pœnâ capitis etiam plectuntur violatores Portarum & Murorum municipalium. §. 10. *Inſt. d. R. Div. l.* 8. §. 2. *l. ult. ff. eod. tit.*

XLI.

Ex lege *Barbarius Philippus* 3. *d. Off. Præt.* nihil minus probatur, quam quod communis error faciat jus.

LIBER

LIBER II.

XLII.

Juriſdictio & Mixtum Imperium res ſunt diverſæ, adeoque Mixtum Imperium non eſt ſpecies juriſdictionis, ut Cujacius putabat.

XLIII.

Juriſdictio autem Criminalis, & Merum Imperium non differunt, adeoque vulgata Juriſdictonis diviſio in Civilem & Criminalem non caret auctoritate juris. v. *l.* 1. *d. Off. ej. cui mand. l.* 6. *l.* 7. *§. ult. d. Off. proc.*

XLIV.

Dare bonorum poſſeſſionem, & reſtituere in integrum, ſunt actus Mixti Imperii. *l.* 3. 4. *ff. d. Juriſd. l.* 26. *ad Munic.*

XLV.

In qua *lege* 3. nec Antonii Fabri, nec Goveani, nec Viglii emendatione dicam, an corruptione? opus eſſe videtur

XLVI.

Judicis datio eſt juriſdictionis ordinariæ. *d. l.* 3. *d. Juriſd.*

XLVII.

Merum imperium Jure Romano veteri non fuit Magiſtratuum, ſed olim Populi, poſtea Principis proprium, ut exiſtimabat vetus interpres Lotharius. v. *l.* 1. *d. Off. ej. l.* 2. §. 23. *d. Or. J.*

XLVIII.

Ita tamen ut Merum Imperium toto cœlo differat a Summo Imperio, adeoque legum ferendarum poteſtas male referatur ad partes Meri Imperii.

XLIX.

Sed poſt tempora Caroli Magni verior eſt opinio Azonis, Merum Imperium jure proprio penes magiſtratus eſſe putantis.

L.

Cum autem Imperium Merum, jure veteri non competierit jure magiſtratus, conſequitur illud non potuiſſe alteri mandari, niſi in caſu abſentiæ. *l.* 1. *d. Off. ej. cui mand.* &, ut videtur, adverſæ valetudinis, *arg. l.* 209. *l. ult. d. V. S. l.* 1. *l.* 14. *d. Auct. tut.*

LI.

Ex quatuor, vulgo receptis, prorogandæ Juriſdictionis modis, de re ad rem, de perſonâ ad perſonam, de tempore ad tempus, & de loco ad locum, non niſi duos

duos priores admittimus. *l.* 15. 18. *ult. ff. d. Juriſd. l.* 2. *d. Judic. l.* 74. §. 1. *ff. eod. l.* 28. *ad Municip.*

L I I.

Juriſdictio criminalis, ſeu Merum Imperium prorogari nequit, *arg. l.* 3. 13. *d. Off. præſ. l.* 7. *l.* 11. §. 1. *d. Cuſt. & exhib. reor. l.* 1. *C. Ubi de criminib.*

L I I I.

Merum Imperium exerceri poteſt & debet, etſi nullus privatus accuſator crimen deferat, non modo Moribus hodiernis, quod certum eſt, ſed & Jure Romano, quod negat Coraſius, & pauci alii. vide *l.* 2. §. 6. *ff. ad L. Jul. d. adult. l.* 1. *C. d. Cuſtod. reor.*

L I V.

Juriſdictio, ſive Criminalis ſive Civilis, ex ratione Juris Romani per præſcriptionem longi temporis nec acquiritur, nec amittitur, *arg. l.* 2. 6. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.*

L V.

Magiſtratus Municipales, licet juriſdictionem civilem; & quasdam partes Mixti Imperii habuerint, Merum tamen Imperium non habuiſſe certum eſt.

L V I.

Unde conſequitur Juri Romano convenientiſſimam eſſe eorum ſententiam, qui nec Judæos, poſt natum Chiſtum, Merum Imperium, aut jus vitæ ac necis exercere potuiſſe contendunt. v. *Joan. Euang. c.* 18. *v.* 31. ubi Beza aliique.

L V I I.

Inter *legem* 9. *d. Juriſd.* & *l.* 32. *ff. ad L. Aquil.* non eſt agnoſcendus diſſenſus JCtorum.

L V I I I.

Actio, quæ datur contra eum, qui jus dicenti non obtemperavit, non eſt popularis, ſed privata & pœnalis.

L I X.

In jus vocatio olim privatâ auctoritate obtorto collo fieri potuiſſe videtur. v. Gell. *Noct. Attic.* 13. *c.* 12. Horat. 1. *Sat.* 9. & *Sat.* 10. Rævard. *c.* 5. *ad LL.* XII. *Tab. l.* 18. 21. *d. In jus voc.*

L X.

Ad unam cauſam citatus non tenetur reſpondere ad aliam, *arg. l.* 2. §. 3. *d. Judic.*

L X I.

Dies termini non computatur in termino,

no, *arg. l.* 1. *Si quis caut. in jud. l.* 56. §. 5. *de V. O.*

L X I I.

Actor libellum actionis, tam veteri, quam novo jure, tam ante, quam poſt litem conteſtatam, non modo emendare, ſed & mutare poteſt. *l.* 4. §. *ult. d Nox. act. l.* 18. §. *ult. d. vi & vi arm.* §. 33. *Inſt. d. Act. l.* 3. *C. d. Edend.*

L X I I I.

Vulgata Pacti diviſio in pactum *Veſtitum* & *Nudum*, ſive rationem loquendi, ſive rem ipſam ſpectes, ab auctoritate juris noſtri aliena eſſe videtur:

L X I V.

Cum omnia pacta proprie dicta, etiam *Legitima* & *Adjecta*, ſint, & ſemper maneant Nuda.

L X V.

Non ſine ratione Juris noſtri conditoribus placuit, ne ex pacto nudo, licet ſerio & deliberato, naſcatur obligatio ad producendam actionem valida. *l.* 7. §. 4. *l.* 45. *ff. l.* 10. *l.* 21. *C. d. Pact. l.* 15. *d. Præſcr. verb. l.* 1. *C. d. Pact. conv.*

L X V I.

Pacta fiunt legitima, non modo per legem proprie dictam, ſed & per Princi-

pum Conſtitutiones, SCta, aliasque partes juris. *l. 6. ff. d. Pact.*

L X V I I.

Pacta in continenti adjecta contractibus bonæ fidei illis inſunt, id eſt, partem eorum conſtituunt, adeoque formant actionem inde competentem, ſed novam actionem non producunt. v. *l. 69. pro Soc. l. 79. d. Contr. em. l. 16. d. In diem add. l. 4. d. L. Commiſſ.*

L X V I I I.

Pacta negotiis ſtricti juris, veluti mutuo, licet in continenti adjecta, non inſunt, nec proſunt ad actionem, ſed tantum ad exceptionem. *l. 7. §. 4. 5. l. 17. pr. ff. de Pact. l. 11. §. 1. d. Reb. cred.*

L X I X.

Quæ tamen regula fallere videtur in ſtipulatione, cui pacta, in continenti adjecta, ineſſe, tam a parte actoris, quam a parte rei, adeoque actionem inde natam formare, conſtat ex *l. 40. ff. d. Reb. cred. l. 4. §. ult. ff. d. Pact.*

L X X.

Simplex & nuda redditio unius ex pluribus chirographis, ejusdem debiti fidem facientibus, non inducit tacitum pactum de

de remiſſo debito, *arg. l.* 25. *d. Probat. l.* 22. *d. Donat. l. ult. d. His q. in teſt. del.*

L X X I.

Contractus recte dividuntur, quod ſint vel ab utrâque, vel ab unâ parte obligatorii, ut ſunt Mutuum, & Stipulatio. Fruſtra & ſine ratione diſſentit Goeddæus cum paucis aliis, per male intellectam legem 19. *d. V. S.*

L X X I I.

Contractuum diviſio in contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, ut juri civili convenientiſſima, ita nec rationi naturali, aut bonis moribus contraria eſt.

L X X I I I.

Tranſactio nec Nominatus, nec Innominatus contractus eſt.

L X X I V.

Tranſactio de controverſiis ultimarum voluntatum non valet, niſi inſpectis teſtamenti aut codicilli tabulis, vel auditis teſtibus. *l.* 6. *ff. d. Tranſ. l.* 3. §. 1. *l.* 12. *ff. eod. tit.*

L X X V.

Tranſactio de criminibus non capitalibus, adeoque & de Falſo, nullius eſt momenti. *l.* 18. *C. d. Tranſ.*

LXXVI.

Sed Tranſactio de criminibus capitalibus, ſanguinis pœnam inferentibus, valet, excepto ſolo adulterio. *d. l.* 18.

LXXVII.

Tranſactio, inter alios facta, aliis nec nocet, nec prodeſt. *l.* 27. §. 4. *ff. l.* 25. *C. d. pact. t. C. Res int. al. act.* Adeoque tranſactio inter heredem teſtamentarium, & legitimum, qui eſt exheredatus aut præteritus, non poteſt conditionem vel creditorum, vel legatariorum aut fideicommiſſariorum facere deteriorem, aut impedire, quo minus heres teſtamentarius ſolus directis actionibus conveniri poſſit. *l.* 29. §. 2. *d. Inoff. teſt. l.* 3. *ff. d. Tranſ.* cum quâ lege 3. parum convenire videtur *l.* 14. *ff. eod.*

LXXVIII.

Tranſactio non poteſt reſcindi ob inſtrumenta poſteâ reperta. *l.* 19. *l.* 29. *C. d. Tranſ. l.* 78. §. *ult. ad Sc. Treb. l.* 4. *C. de Re jud.*

LXXIX.

Nec ob læſionem ultra duplum. *d. l.* 78. §. *ult.* ſic ut remedium *legis* 2. *C. d. Reſc. vend.* non habeat locum in tranſactione.

LIBER

LIBER III.

LXXX.

Major 17. annis & Advocati, & Procuratoris, tam Judicialis, quam Extrajudicialis, officio fungi poteſt. *l.* 1. *d. Poſtul.* §. 5. *Inſt. Qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

LXXXI.

Pactum de Quotâ litis inter Clientem, & Advocatum aut Procuratorem eſt ipſo jure nullum.

LXXXII.

Infames ut non in univerſum ab officio Advocatorum, ita nullo modo, Jure Civili, excluduntur ab officio Procuratorum. *l.* 1. *d. Poſtul.* §. *ult. Inſt. d. Except.*

LXXXIII.

Infamia recte dividitur in Infamiam Juris & Facti. *l.* 13. 17. 19. *C. d. His q. not. inf. l.* 2. *ff. d. Obſeq. parent. & patr. l.* 25. *C. ad L. Jul. d. adult.*

LXXXIV.

Crimen ſtellionatus ſuâ naturâ non eſt famoſum. *l.* 2. *ff. Stellionat.*

LXXXV.

Vulgata diſtinctio Procuratoris univerſorum bonorum, in Procuratorem *cum*, & *ſine liberâ*, ſcilicet adminiſtratione, Jure Civili ignota eſt.

LXXXVI.

Procurator in cauſis criminalibus capitalibus nec ad accuſandum, nec ad defendendum admittitur. *l. pen.* §. 1. *ff. d. Publ. judic. l.* 5. *d. Pœn. l.* 1. *An per al. cauſ. appell.*

LXXXVII.

Nihil obſtat, quo minus Procurator in actionibus famoſis admitti poſſit. *l.* 42. §. 1. *d. Procur. l.* 6. §. 2. *d. His q. not. infam.*

LXXXVIII.

Procurator condemnatus, appellare, non autem appellationem interpoſitam proſequi tenetur. *l.* 17. *C. d. Procur. l.* 31. §. 2. *d. Neg. geſt. l.* 9. 10. *C. d. Appell.*

LXXXIX.

Et Procurator & Negotiorum geſtor tenentur de culpâ leviſſimâ. *l.* 13. 21. *C. Mand.* §. 1. *Inſt. d. Oblig. ex quaſi contr. l.* 24. *C. de Uſur.*

XC.

Si dominus negotia, ſe ignorante, geſta, per ratihabitionem probaverit, ne-

negotiorum geſtor vel mandati, vel negotiorum geſtorum actione conveniri poteſt. *l. 6. §. 9. 10. d. Neg. geſt. l. 60. ff. d. Reg. Jur.*

LIBER IV.

XCI.

In integrum Reſtitutio nunquam admittit duplex judicium, id eſt, *Reſcindens*, & *Reſciſſorium.* v. §. 5. *Inſt. d. Action. l. 14. §. 1. Quod met. cauſ. l. 18. pr. d. Dol. mal. l. 1. §. 1. l. 26. §. 7. Ex quib. cauſ. maj.*

XCII.

Metus, ſive inciderit in contractum, ſeu bonæ fidei, ſeu ſtricti juris, ſive eidem cauſam dederit, non facit contractum ipſo jure nullum. *l. 9. §. 3. l. 21. l. ult. §. 1. ff. l. 3. 7. ult. C. Quod met. cauſ.*

XCIII.

Definitio Doli a Labeone tradita in *l. 1. ff. d. Dol. mal.* nec ineptiæ, nec tautologiæ vitio laborat.

XCIV.

Dolus, dans cauſam contractui bonæ fidei, facit contractum ipſo jure nullum.

l. 7.

l. 7. *ff. d. Dol. mal. l.* 16. §. 1. *ff. d. Minor.*

X C V.

Ita tamen ut ex contractu, cui vel dolus, vel metus cauſam dedit, ſubſecutâ traditione, dominium transferatur.

X C V I.

Cum actio doli ſit famoſa, & parcendum ſit hominum exiſtimationi, quamdiu, ſalvâ æquitate, fieri poteſt, ratio juris non ſinit, ut actio doli inſtituatur, quamdiu ſupereſt alia non famoſa. *l.* 1. §. 4. *d. Dol. mal.*

X C V I I.

Contra Parentes & Patronos nec ex doli, nec ex aliâ cauſâ, liberis, aut libertis reſtitutio datur. *l.* 2 *C. Qui & adverſus quos. l.* 11. §. 1. *d. Dol. mal.*

X C V I I I.

Reſtitutio ex cauſâ ætatis, 25. annis minoris, non datur, niſi probetur læſio, & ætas minorennis; Quæ, ut probari poteſt per teſtimonium parentum. *l.* 16. 29. *d. Probat.*

X C I X.

Ita nunquam videtur probari potuiſſe per impudicam nudi corporis inſpectionem, quam memorat Tribonianus in *pr. Inſt. Quib. mod. tut. fin.*

C.

Digitized by Google

C.

Minorum reſtitutio non prodeſt Fidejuſſoribus. *l.* 13. *d. Minor. l.* 3. §. 4. *eod. l.* 1. 2. *C. d. Fidej. Min.*

C I.

Advocato minori 25. annis datur Reſtitutio, ſi ſe læſum probet in negotio gerendo, quod nihil commune habet cum Juris peritiâ, *arg. l.* 1. *ff. l.* 2. *C. d. In int. reſt. minor. l.* 2. *C. d. Fidej. min. l.* 11. *C. d. Præd. & al. reb. minor.*

C I I.

Minores non reſtituuntur in integrum contra delictum. *l.* 2. *C. Si adverſ. del. l.* 9. §. 2. *l.* 37. *ff. d. Minor.*

C I I I.

Nec contra libertatem. *t. C. Si adverſ. libert. l.* 9. *§. ult. l.* 31. *ff. d. Minor.*

C I V.

Nec contra præſcriptionem longiſſimi temporis. *l. ult. C. In quib. cauſ. in integr. reſt. l.* 3. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.*

C V.

Nec contra contractus jurejurando confirmatos. *l.* 1. *& Auth. Sacramenta puberum C. Si adverſus vend.*

C V I.

Quæ Authentica tam ad contractus invali-

validos, quam ipſo jure validos pertinere videtur.

C V I I.

Lex 7. ff. d. Capite minut. nec Cujacii, nec Bachovii, nec Haloandri, nec aliâ aliorum emendatione criticâ egere videtur; ſed, ſi ulla eſt neceſſaria, præferenda videtur illa Bachovii, quâ expungit verba, *exceptis his.*

C V I I I.

Reſtitutio ex cauſâ abſentiæ datur tam abſentibus contra præſentes, quam præſentibus contra abſentes.

C I X.

Ut præſens reſtituatur contra abſentem, ſufficit quælibet, etiam injuſta abſentia.

C X.

Ut abſens reſtituatur contra præſentem, ſufficit non modo abſentia Reipublicæ cauſâ, ſed & alia quælibet juſta ac probabilis.

C X I.

Nihil intereſt, utrum abſens reſtituendus procuratorem reliquerit, an non. *l. 26. §. ult. ff. Ex quib. cauſ.*

C X I I.

Ex generali clauſulâ, *ſi qua mihi juſta cauſa videbitur*, non datur reſtitutio contra Uſu-

Uſucapionem, vel Præſcriptionem, domino ignorante impletam. *l. ult. in f. C. d. Long. temp. præſcr.*

CXIII.

Judex ordinarius ex compromiſſo partium poteſt eſſe arbiter. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *d. Rec. arb.* v. *l.* 9. §. 2. *eod. tit.*

CXIV.

A ſententia Arbitri compromiſſarii non datur appellatio. *l.* 1. *C. d. Rec. arb.*

CXV.

Iniqua Arbitri ſententia beneficio *Legis* 2. *C. d. Reſc. vend.* reſcindi non poteſt.

CXVI.

Inter *l.* 1. §. 1. *Naut. Caup. Stabul.* & *l. un.* §. *ult. ff. Furti adverſ. naut. caup.* nulla eſt pugna.

LIBER V.

CXVII.

Dantur judicia mixta, tam in rem, quam in perſonam, exemplo actionum. v. §. 20. *Inſt. d. Action.*

CXVIII.

CXVIII.

Sed & ad perſequendam pœnam, partim Fiſco, partim actori applicandam, comparata. *l.* 25. §. 2. *d. Sc. Syl.*

CXIX.

Minor 25. annis non poteſt eſſe Judex. *l.* 8. *ff. de Muner. & hon. l.* 2. *pr. ff. de Vac. & exc. mun. l.* 57. *ff. de Re Jud.* ubi male Ant. Faber pro *viginti quinque*, legit, *viginti.* v. Sueton. in *Aug. c.* 32. ubi recte Cujacius, & Caſaubonus, pro *triceſimo* anno, legunt, *viceſimo.*

CXX.

Juris Imperitus Judicis officio fungi nequit. *pr. Inſt. d. Off. jud. l.* 13. *C. de Sent. & Interloc. l.* 11. *C. d. Judic. t. C. Ut quæ deſunt advoc. part.*

CXXI.

Cæcus autem non prohibetur. *l.* 6. *ff. d. Judic. l.* 8. *C. d. Decur.*

CXXII.

Judicis eſt ita judicare, ut ſimul fungatur officio boni judicis, & boni viri: adeoque in conflictu conſcientiæ, & actorum ac probatorum, nec ſecundum conſcientiam, nec ſecundum acta & probata, ſed ſemper ſecundum conſcientiam, actis & probatis inſtructam, judicare debet.

CXXIII.

CXXIII.

Nec Jus Romanum admittit, nec Judicem admittere decet *Caſum pro amico*, quem vocant.

CXXIV.

Actio in rem inſtitui poteſt vel in loco, ubi reus domicilium habet, vel in loco rei ſitæ. *l. ult. C. Ubi in rem act. l. un. C. Ubi de hered. l.* 24. §. 2. *l.* 38. *in f. ff. d. Judic.*

CXXV.

Inter plures cauſas, in Judicium deductas, regulariter is ordo obſervandus eſt, ut cauſa criminalis diſceptetur, & decidatur ante civilem. *l.* 37. *ff. d. Judic. l.* 5. §. 1. *ff. l* 7. *C. ad L. Jul. d. vi publ. l. ult. C. d. Ord. Jud.*

CXXVI.

Poſſeſſoria autem ante petitoriam. *l.* 3. *C. d. Interd. l.* 13. *C. d. R. V.*

CXXVII.

Litis conteſtatio imperite dividi ſolet in *Affirmativam*, & *Negativam.*

CXXVIII.

Cum nemo ex alieno debito vel delicto conveniri poſſit. *t. C. Ne fil. pro patr. t. C. Ne ux. pro mar. t. C. Ut null. ex vican. pro al. vicin. debit.*

C CXXIX.

Digitized by Google

C X X I X.

Conſequitur, uſum *Repreſſaliarum*, nec æquitati, nec Juris Romani auctoritati convenire.

C X X X.

Querela inofficioſi teſtamenti non eſt actio *præparatoria*; (ut ſic loqui liceat) hereditatis petitionis, ſed ipſa hereditatis petitio. *l.* 8. §. 8. & 16. *l.* 21. §. 2. *l.* 27. §. *pen. ff. l.* 34. *C. d. Inoff. teſt.*

C X X X I.

Querela inofficioſi teſtamenti nec novo, nec veteri Jure Romano datur heredibus, niſi ſit præparata, vel inſtitui cœpta ab ipſo exheredato, vel præterito. *l.* 6. *ff. d. Inoff. teſt.*

C X X X I I.

In Querela non eſt locus Edicto Succeſſorio, ut gradus gradui ſuccedat, adeoque ut, filio juſtâ de cauſâ exheredato, nepos *ex ſuâ perſonâ*, teſtamentum avi, quaſi inofficioſum, accuſare poſſit. *l.* 9. §. 2. *d. Lib. & poſt. her. inſt. l.* 6. *pr. d. Inj. rupt. l.* 7. *in f. pr. Si tab. teſtam. null. exſt.*

C X X X I I I.

Querela etiam prodeſt aliis exheredatis aut præteritis, quam illis, qui eam inſtituunt: ex. gr. Si pater, qui una cum libe-

liberis ſuperſtitibus a defuncto filio eſt exheredatus, reſciſſionem teſtamenti, ut inofficioſi, impetraverit, ſimul ſuccedunt ejus filii, ſeu fratres defuncti, *arg. l.* 6. §. 1. *l.* 21. §. 2. *l.* 17. *l.* 19. *ff. d. Inoff. teſt.*

CXXXIV.

Jus accreſcendi in Querelâ non minus habet locum, quam in hereditate, ex lege vel teſtamento quæſita, ſic ut portio querelam repudiantis adquiratur aliis agere volentibus. *l.* 23. *in f. l.* 17. *pr. ff. d. Inoff. teſt.*

CXXXV.

Querela ceſſat tum ob juſtas exheredationis cauſas; quas a Juſtiniano definitas in *Nov.* 115. verius eſt, extendi poſſe ad cauſas æque graves, vel graviores;

CXXXVI.

Tum ſi exheredatis vel præteritis relicta ſit legitima; cujus augmentum, a Juſtiniano introductum, æque pertinet ad Parentes & Fratres, quam ad Liberos. *Nov.* 18. *pr.* & *c.* 1.

CXXXVII.

Legitima autem poſt *Novellam* 115. relinquenda eſt titulo inſtitutionis.

CXXXVIII.

Legitima non modo in fundis, domibus, aliisque patrimonii corporibus, ſed & in pecuniâ numeratâ relinqui poteſt. *l.* 8. §. 11. *ff. d. Inoff. teſt.*

CXXXIX.

Liberi, retentâ legitimâ, non poſſunt a reliquâ hereditate abſtinere. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 75. *l.* 80. *ff. d. Adq. her.*

CXL.

In computandâ legitimâ, pro numero liberorum, filius juſte exheredatus *non facit partem*, id eſt, non auget legitimam: quia ipſe non accipit partem. *l.* 1. §. 5. *d. Conjung. cum emancip. lib. ej. l.* 10. §. 4. *ff. d. Bon. poſſ. contr. tab.* §. 3. *Inſt. d. Succeſſ. libert.*

CXLI.

Legitima non amittitur neglecto beneficio Inventarii, *arg. l.* 32. *C. d. Inoff. teſt. Nov.* 1. *c.* 2.

CXLII.

Condictio ad ſupplementum Legitimæ non exſtinguitur quinquennio, ut Querela inofficioſi teſtamenti, ſed 30. annis, *arg. pr. Inſt. d. Perp. & temp. act. l.* 3. & 4. *C. d. Præſcr.* 30. *vel.* 40. *ann.*

CXLIII.

Petitio hereditatis eſt actio mixta, tam in

in perſonam, quam in rem. *l.* 7. *C. d. Her. petit.*

C X L I V.

Petitio hereditatis non modo competit contra eum, qui titulo univerſali, pro herede, vel pro poſſeſſore, poſſidet. *l.* 1. *d. Her. pet.* ſed & contra emtorem hereditatis. *l.* 13. §. 4. 8. *eod. tit.*

C X L V.

Ut & contra eum, qui dolo poſſidere deſiit. *l.* 13. §. 14. *ff. eod. tit. l.* 27. §. 3. *d. R. V.* qui licet æſtimationem præſtiterit, verus poſſeſſor nihilominus tenetur ad ipſas res hereditarias. *d. l.* 13. §. 14. *l.* 95. §. 9. *ff. d. Solut. l.* 7. *ff. d. Rei vind.*

C X L V I.

In petitione hereditatis, bonæ fidei poſſeſſor eſt etiam is, qui Juris errore lapſus, ſe heredem eſſe putabat. *l.* 20. §. 6. *in verb. item eos. l.* 25. §. 6. *ff. d. Her. pet.*

C X L V I I.

Bonæ fidei poſſeſſor hac actione tenetur de fructibus conſumtis, quatenus inde factus eſt locupletior. *l.* 25. §. 11. *eod.* Secus ac in rei vindicatione. *l.* 4. §. 2. *ff. Fin. Reg.*

C X L V I I I.

Utrum autem poſſeſſor ſit bonæ, an malæ fidei, litis conteſtatæ; an vero lo-

cupletior ſit factus, rei judicatæ tempus ſpectandum eſt. *l.* 25. §. 7. *l.* 40. *d. Her. pet.* junct. *l.* 36. §. *pen. eod. tit.* quæ loca ita videntur concilianda.

C X L I X.

Bonæ fidei poſſeſſor in petitione hereditatis deducit non modo Neceſſarias, & Utiles, ſed & Voluptuarias impenſas. *l.* 38. *l.* 39. *d. Her. pet.* Secus ac in Rei vindicatione, ubi tantum tolluntur Voluptuariæ, quatenus ſine rei detrimento tolli poſſunt. *l.* 38. *d. R. V.*

C L.

Si legitimus heres, per imperitiam vel iniquitatem Judicis, hereditatis petitione vicerit teſtamentarium, legata teſtamento relicta non debentur. *l.* 3. *pr.* & §. 1. *ff. d. Pign.* & *hyp. l.* 50. §. 1. *d. Legat.* 1. ubi cum Cujacio videtur expungenda negatio *Non.*

C L I.

Filius, cujus mater ex patre defuncto prægnans eſt, non niſi quartam hereditatis partem vindicare poteſt, donec partus edatur. *l.* 28. §. *ult. ff. d. Judic. l.* 3. *Si pars her.*

LI-

LIBER VI.

CLII.

Rei vindicatio non competit niſi domino rei, quæ vindicatur; ita tamen, ut ſufficere videatur, actorem pendente lite dominium eſſe conſecutum, *arg. l.* 27. §. 1. *ff. d. R. V. l.* 17. *Mand. l.* 56. *d. Judic.*

CLIII.

Datur contra quemvis poſſeſſorem, licet non contra vindicet, nec dominum ſe eſſe contendat. *l.* 9. *ff. d. R. V. l.* 4. *C. d. Ed.*

CLIV.

In Judicio Rei Vindicationis ſententia contra eum, qui alieno nomine poſſidet, lata, vero poſſeſſori, in poſſeſſione nocere videtur, *arg. l.* 44. §. *ult. d. Adq. poſſ.*

CLV.

Bonæ fidei poſſeſſor nec de Naturalibus, nec de Induſtrialibus fructibus, ex aliena re perceptis & conſumtis, tenetur: quia omnes indiſtincte lucratur. *l.* 48. *ff. d. Acq. rer. D. l.* 78. *d. R. Vind. l.* 13. *ff. Quib. mod. uſusfr. vel uſ. am. l.* 28. *d. Uſur. l.* 4. §. 2. *Fin. Reg.* §. 35. *I. d. R. Div.*

C L V I.

Fructuum adhuc exſtantium, ſeu nondum conſumtorum, non niſi revocabile, & temporarium dominium conſequitur, donec verus dominus rem cum fructibus vindicet. *d. l.* 48. *d. l* 4. §. 2. §. 2. *I. d. Off. Jud. l.* 22. *C. d. R. V.*

C L V I I.

Bonæ fidei poſſeſſor in deductione impenſarum cogitur admittere compenſationem ad concurrentem quantitatem fructuum, vel ante, vel poſt litem conteſtatam perceptorum. *l.* 48. *l.* 65. *ff. d. R. V. l.* 16. *C. d. Evict. l.* 51. *ff. Fam. erc.*

C L V I I I.

In quâ *lege* 48. nec Haloandri, nec Charondæ emendatio admittenda, ſed lectio Florentina retinenda videtur.

C L I X.

Ad repetendas impenſas, in rem alienam factas, nulla jure civili datur actio, ſed ſola exceptio doli mali, quamdiu is, qui fecit impenſas, eſt in poſſeſſione. §. 30. *Inſt. d. R. Div. l.* 33 *d. Cond. ind. l.* 48. *d. R. vind. l.* 14. *d. Dol. exc.*

C L X.

Actio Publiciana competit etiam vero domino, ſi eâ, forte ob difficultatem

pro-

probandi dominii, experiri velit, *arg. l.* 1. *l. ult. d. Publ. act.*

C L X I.

Lex 57. *ff. Mand.* non de Publicianâ proprie dictâ, ſed de Reſciſſoriâ actione eſt accipienda.

C L X I I.

In quâ *lege* 57. pro *non utiliter*, legendum videtur *utiliter*, vel, *non inutiliter.*

C L X I I I.

In actione Publiciana bona fides non litis conteſtatæ, nec alio tempore, ſed tantum initio acquiſitæ poſſeſſionis deſideratur. *l.* 1. *d. Publ. act.* junct. *L. un. C. de Uſuc. transf. l.* 12. *§. ult. d. Publ. act.*

C L X I V.

Traditio, & per eam acquiſita, & deinde amiſſa poſſeſſio, in actione Publicianâ, etiam illis caſibus eſt neceſſaria, quibus dominium, citra traditionem, ipſo Jure acquiritur. *l.* 1. *& ſeqq. ff. d. Publ. act. l.* 8. *Pro legat. l.* 25. *d. Uſuc.* junct. *l.* 7. *§.* 16. *d. Public. act.*

C L X V.

Actio Publiciana non competit contra poſſeſſorem, ſi & ipſe bonam fidem, & juſtum titulum habeat; niſi actor ab eodem auctore rem emerit, aliove juſto titulo conſecutus ſit. *l.* 9. *§.* 4. *ff. d. Publ.*

act. Nam inter eos, qui rem a diverſis non dominis acceperunt, potior eſt conditio poſſidentis. *d. l.* 9. §. 4. cum quâ vix eſt ut conciliari poſſit *l.* 31. §. *ult. ff. d. Act. emt.*

C L X V I.

Emphyteuſis eſt contractus bonæ fidei, *arg.* §. 3. *Inſt. d. Loc. cond.* junct. §. 28. *Inſt. d. Action.*

C L X V I I.

Cum Emphyteuſis ſit contractus conſenſualis. *d.* §. 3. res ipſa loquitur, ad ejus perfectionem non deſiderari ſcripturam. *l.* 17. *C. d. Pact. l.* 4. *ff. d. Fid. inſtr.*

C L X V I I I.

Jus Emphyteutæ ſit caducum, & Emphyteuſis ad dominum revertitur, ſi canonis præſtatio in Emphyteuſi Eccleſiaſticâ, per biennium; in Seculari, per triennium fuerit dilata. *l.* 2. *C. d. J. Emphyt. N.* 7. *c.* 3. §. 2. licet Emphyteuta partem canonis ſolverit, *arg. l.* 78. §. 2. *d. Contr. em.* junct. *l.* 6. *C. d. Diſtr. pign. l.* 56. *d. Cond. & Dem.*

C L X I X.

Mora, in ſolvendo canone, commiſſa, non poteſt, oblatâ ab Emphyteutâ ſatisfactione, purgari. *l.* 2. *C. d. Jure Emphyt.*

arg.

arg. l. 23. *d. O. & A. l.* 12. *C. d. Contr. & comm. ſtip.*

C L X X.

Canonis ſolutioni, omnique Juri dominii directi, triginta annorum lapſu videtur præſcribi poſſe ab Emphyteutâ, qui tamdiu animo ſibi habendi poſſedit, nec canonem ſolvit, aut de eo ſolvendo interpellatus eſt, *arg. l.* 3. 4. 7. *§. ult. C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.*

C L X X I.

Si Emphyteuta aliter quam venditione, veluti donatione, alienet Emphyteuſin, tamen tenetur ad laudemium, non autem ad id, ut domino offerat prærogativam, ſeu jus prælationis. v. *l.* 3. *C. d. J. Emphyt.*

L I B E R VII.

C L X X I I.

Uſusfructus, quatenus eſt ſervitus, non recte dividitur in *Cauſalem*, & *Formalem. l.* 5. *Si uſ. pet.*

CLXXIII.

CLXXIII.

Uſusfructus eſt dividuus. *l.* 5. *ff. d. Uſufr. l.* 19. *d. Uſ. & hab.*

CLXXIV.

In Veſtimentis quotidianis non verus, ſed quaſi Uſusfructus locum habet. §. 2. *I. d. Uſufr.*

CLXXV.

Uſufructuarius tenetur de latâ, & levi, non de leviſſimâ culpâ. *l.* 9. §. 2. *l.* 65. *ff. de Uſufr. l.* 1. §. *ult. l.* 2. *Uſ. quemadm. cav.*

CLXXVI.

Non Uſufructuarius, cui omnium bonorum Uſusfructus eſt legatus, ſed heres tenetur ad ſolvendum æs alienum a defuncto contractum. *l.* 69. *ff. ad L. Falcid. l. ult.* §. 4. *C. d. Bon. quæ lib l. ult. ff. d. Uſufr. leg.* ubi cum Haloandro, pro *Nihil*, *Nonnihil*, cum Heraldo autem, & Grotio pro *tertiæ partis* legendum videtur, *certæ partis*.

CLXXVII.

Teſtator nec veri, nec quaſi Uſusfructus cautionem remittere poteſt. *l.* 6. *ff. l. pen. C. Ut in poſſeſſ. legat. vel fideic. l.* 1. *C. d. Uſufr.*

CLXXVIII.

C L X X V I I I.

Uſufructuario competit actio Confeſſoria, non modo ad uſumfructum, ſed & ad ſervitutes prædiales, in fundo fructuario conſtitutas, ſi vel domini nomine agat, vel ſervitutes, ad obtinendum effectum Uſusfructus, vindicet. *l. un.* §. 4. *ff. d. Remiſſ. l.* 1. §. *ult. d. Op. nov. nunc. l.* 1. *Si Uſ. pet.*

C L X X I X.

Uſufructuarius male utendo non amittit Uſumfructum. *l.* 13. *ff. d. Uſufr. l.* 1. *ff. Uſufr. quemadm. cav.*

C L X X X.

Uſufructuarius cedendo Uſumfructum *extraneo*, id eſt, alteri quam domino proprietatis, adeo *nihil agit*, ut Uſusfructus nec extraneo acquiratur, nec ad dominum proprietatis revertatur. §. 3. *Inſt. d. Uſufr.*

C L X X X I.

Finito Uſufructu, fructus pendentes non ad Uſufructuarium ejuſve heredem, ſed ad dominum proprietatis pertinent. §. 36. *Inſt. d. Rer. div. l.* 13. *ff. Quib. mod. uſ. am. l.* 25. §. 1. *d. Uſur.*

LIBER VIII.

CLXXXII.

Non modo perſonalis, quod certi Juris eſt., ſed & prædialis ſervitus, quod plerique Interpretes negant, amœnitatis cauſâ conſtitui poteſt. *l.* 1. §. 11. *l.* 3. *ff. d. Aquâ quotid. & æſtiv. l.* 8. §. 1. *Si ſerv. vind. l.* 15. *d. Serv. præd. ruſt.*

CLXXXIII.

Ad conſtituendas ſervitutes ſufficit utilitas vel commoditas etiam futura. *l. pen. d. Servit.*

CLXXXIV.

In omnibus ſervitutibus requiritur cauſa continua & perpetua. *l.* 28. *d. S. U. P. l. un.* §. 4. *d. Fonte.*

CLXXXV.

Servitus Altius non tollendi, & ſervitus Ne Luminibus officiatur, differunt. *l.* 2. 4. 17. 22. *d. S. P. U.*

CLXXXVI.

Cum ſervitus Luminum ſit Jus, quo quis in communi vel alieno pariete poteſt aperire feneſtram, ad utilitatem ædium ſua-

ſuarum; conſequitur eam differre a ſervitute Ne Luminibus officiatur; & Dominum in pariete proprio, jure dominii, etiam ſine ſervitute conſtituta, & cum incommodo vicini, feneſtram aperire poſſe; Quod non minus verum & æquum eſt, quam Cujacio abſurdum & incivile videtur. v. *l.* 4. 8. 9. *l. pen. ff. d. Serv. P. urb. l.* 8. *C. d Serv. & aq. l.* 8. §. 5. *Si ſerv. vind.*

CLXXXVII.

Cum Servitutes jure novo uſucapiantur inſtar rerum corporalium. *l. ult. C. d. Long. temp. præſcr.* vix dubitandum videtur, quin eodem jure ad eam ſive uſucapionem, ſive præſcriptionem longi temporis, requirantur & bona fides & juſtus titulus.

CLXXXVIII.

Æque certum eſſe videtur, ſervitutes non minus eſſe in bonis ac patrimonio, quam res corporales. *l.* 5. §. 9. *d. Op. nov. nunc. l.* 52. *d. A. rer. dom. l.* 49. *d. V. S* junct. §. 2. *I. d. Action.*

CLXXXIX.

Unde is, qui habet ſervitutem conſtitutam, novum opus nunciare poteſt. *l.* 5. §. 9. *d. Op. nov. nunc.*

LI-

LIBER IX.

CXC.

Incluſio alieni pecoris, in noſtro fundo deprehenſi, & gramen, aut fruges depascentis, jure Romano prorſus prohibita eſt. *l.* 39. §. 1. *ff. ad L. Aquil. l. pen. C. eod. tit.*

CXCI

Actio Legis Aquiliæ, ſi ſervus alienus dolo ſit occiſus, non facit præjudicium accuſationi publicæ Legis Corneliæ de Sicariis, ſed cum eâ concurrit. *l.* 23. §. 9. *ff. l.* 3. *C. ad L. Aquil.* §. 11. *Inſt. eod.*

CXCII.

Si ſervus ab uno mortifere vulneratus, ab alio occiſus ſit, uterque tenetur de occiſo. *l.* 11. §. 2. *l.* 51. *ad L. Aquil.*

CXCIII.

Si homo liber ſit læſus, ipſe; ſin occiſus, heredes ejus utili Legis Aquiliæ actione damni dati reparationem conſequi poſſunt. *l.* 13. *l.* 7. *pr.* & §. 4. *ff. ad L. Aquil. l.* 1. §. 5. *l. ult. ff. d. His q. dej. vel effud.*

CXCIV.

CXCIV.

Is, in cujus ædibus incendium, ipſius culpâ, ortum eſt tenetur Lege Aquiliâ, ad reſarciendum damnum vicinis inde allatum. *l.* 27. §. 9. 11. *l.* 30. §. *pen ad L. Aquil. l.* 28. §. 12. *ff. d. Pœn.*

LIBER X.

CXCV.

Actiones Finium Regundorum, Familiæ Erciſcundæ, & Communi Dividundo, ſunt mixtæ, tam in rem, quam in perſonam. §. 20. *Inſt. d. Action. l.* 1. *Fin. reg. l.* 22. §. 4. *Fam. erciſc. l.* 1. 3. 4. *ff. Comm. divid.*

CXCVI.

Actio Finium Regundorum præſcribitur ſpatio triginta annorum. *l. ult, C. Fin. reg.*

CXCVII.

Actio Familiæ Erciſcundæ non datur niſi adverſus eum, quem actor fatetur ſibi eſſe coheredem. *l.* 1. §. 1. *l.* 49. *l.* 51. §. 1. *ff. Fam. erciſc, l.* 36. *eod. tit,*

CXCVIII.

In *Lege* 37. *ff. Fam. erc.* nihil eſt mutandum, nec recedendum a lectione Codicis Florentini.

CXCIX.

Heres coheredi in Judicio Familiæ Erciscundæ tenetur cavere de evictione, licet pater inter liberos hereditatem diviſerit. *l.* 25. §. 21. *ff. l.* 14. *C. Fam. erc. l.* 33. *ff. eod. l.* 77. §. 8. *d. Legat.* 2.

CC.

Diviſio hereditatis, ſi auctoritate Judicis, ſeu vi rei judicatæ ſit facta, ne quidem ob enormem læſionem reſcindi poteſt. *l.* 36. *ff. Fam. erc.*

CCI.

Sed in diviſione extrajudiciali locus eſt remedio *legis* 2. *C. d. Reſc. vend.* vide *l.* 1. 3. *C. Comm. utr. jud. l.* 38. *ff. Famil. erciſc.*

CCII.

Quanquam ſine fraude dolove, vel per ſortem facta ſit diviſio.

CCIII.

Licet quædam bona hereditaria a patre inter liberos inæqualiter diviſa ſint, in reliquis indiviſis obſervanda eſt partitio in partes viriles. *l.* 9. §. 13. *ff. d. Her. inſt. l.* 11. *l.* 21. *C. Fam. erc.*

CCIV.

C C I V.

Filius, qui operâ & induſtriâ ſuâ rem patris auxit, non eſt melioris conditionis, quam fratres ejus & ſorores, ſed in æquas partes cum illis ſuccedit, *arg. l.* 13. *C. Fam. erc. l.* 12. *C. d. Collat.*

C C V.

Inſtituto inter fratres & ſorores Familiæ erciſcundæ judicio, diviſio ſolius judicis arbitrio eſt expedienda, non vero ita decernenda, ut major natu dividat, minor eligat, *arg. l.* 52. §. 2. *l.* 55. *ff. Fam. erc.* §. 4. *Inſt. d. Off. jud.*

C C V I.

Uti rei communis diviſioni, in actione Finium regundorum, Familiæ erciſcundæ, ac Communi dividundo ſpatio triginta annorum non præſcribitur, *arg. l.* 14. §. 2. *ff. Comm. divid. l. ult. C. eod. tit. l.* 65. §. 11. *pro Soc. l.* 77. §. 20. *d. Legat.* 2.

C C V I I.

Ita nec longi temporis præſcriptio 10. vel 20. annorum, ad acquirendam partem coheredis aut ſocii, prodeſt ei, qui bonâ fide juſtoque titulo fundum communem, vel fines communes, ut communes, poſſedit. *dd. ll.*

C C V I I I.

Actio negotiorum geſtorum nunquam elective concurrit cum actione Familiæ erciſcundæ vel Communi dividundo, ſi coheres vel ſocius negotium commune individuum vel dividuum geſſerit. *l.* 18. §. *ult.* *l.* 52. §. 1. *ff. Fam. erc.* &c.

C C I X.

Sed nec actio Familiæ erciſcundæ cum actione expilatæ hereditatis concurrere poteſt. *l.* 3. *C. Fam. erc.* junct. *l.* 1. *C. d. Crim. exp. her.*

C C X.

In Judicio Familiæ erciſcundæ condemnationes & abſolutiones, circa perſonales hujus Judicii præſtationes, in omnium perſonis faciendæ ſunt. *l.* 27. *ff. Fam. erc.*

C C X I.

Actio Communi dividundo ad res dividendas non modo in quaſi contractu involuntariæ Communionis, ſed & in vero contractu Societatis, & quidem ſola locum habet. *l.* 1. *Commun. divid.* non actio pro Socio; utpote quæ ad rerum communium diviſionem omnino non pertinet, ſed tantum ad præſtationes perſonales.

C C X I I.

Actio ad Exhibendum non eſt actio in rem,

rem, ſed in perſonam, & in rem ſcripta. *l.* 3. §. 3. *&* §. *ult. ff. ad Exhib.* §. 31. *I. de action.*

C C X I I I.

Non eſt abſolutæ neceſſitatis, ut actio ad Exhibendum ſemper præcedat vindicationem rei mobilis.

L I B E R XI.

C C X I V.

Interrogatio in Jure non videtur habuiſſe locum in actionibus in rem. *l.* 1. 2. *&* *ſeqq. ff. d. Interrog. in jure.*

C C X V.

Interrogationes in Jure etiam in itinere vel domi Prætoris fieri potuerunt, ſi vera eſt recepta lectio *legis* 4. §. 1. *ff. d. Interrog.*

C C X V I.

Quamquam non careat ratione emendatio Hottomanni in *d. l.* 4. §. 1. pro VEL *ſi domi &c.* legentis NON *ſi domi &c.*

C C X V I I.

Aleatorum receptatori, damnum furtumve ab aleatoribus paſſo, non modo

actio pœnalis, ſed & rei perſecutoria, denegatur. *l.* 1. §. 3. *ff. d. Aleat.* quam male intellexit Weſembecius; ſine ratione emendavit, vel potius corrupit Haloander.

CCXVIII.

Ludus Latrunculorum non eſt Jure Civili prohibitus. v. Vopiſc. in *Syracuſiis c.* 13. ubi Salmas. in *Notis.*

CCXIX.

Sponſiones non modo non prohibentur Jure Civili, ſed producunt obligationem ad agendum validam. *l.* 5. *d. Fœn. naut. l.* 57. *l.* 63. *l.* 108. *l.* 129. *D. d. V. O. l.* 17. §. *ult. d. Præſcr. verb.*

CCXX.

Cenotaphium non eſt locus Religioſus. *l.* 6. §. *ult. l.* 42. *ff. d. Relig. & ſumtib. fun. L.* 6. 7. *ff. d. Rer. diviſ.*

LIBER XII.

CCXXI.

Mutuum eſt verus nominatus contractus, ſed ab unâ tantum, ſcilicet debitoris;

ris, parte obligatorius. §. 2. *Inſt. d. Jure nat. pr. I. Quib. mod. re contr. obl. l.* 1. §. 2. *ff. d. O. & A.*

CCXXII.

Ex quo contractu, accedente traditione vel numeratione, dominium transferri, res eſt liquidi juris. §. 2. *Inſt. Quib. alien. lic. pr. Inſt. Quib. mod. re contr. obl. l.* 16. *l.* 41. *ff. d. Reb. cred.* Diſſentiebat Salmaſius, ſed ſine lege ac ratione.

CCXXIII.

Sive autem illa traditio fiat naturaliter, datione de manu in manum, ſive per Symbolum aut Fictionem brevis manus, nihil intereſt, quod naturam mutui & translationem dominii attinet. Exempla vide in *l.* 9. §. *ult. l.* 11. *l.* 15. *ff. d. Reb. cred.* Quibus non ſunt contrariæ *l.* 19. *ff. de Præſcript. verb. & l.* 34. *ff. Mand.* licet alii hic implacabilem agnoſcant antinomiam.

CCXXIV.

Si contrahentes errent in cauſâ transferendi dominii, ex gr. ſi hic animo donandi tradat, ille animo mutui contrahendi accipiat, ſummo Jure nec Mutuum, nec Donatio contrahitur, nec dominium transfertur. *l.* 55. *d. O. & A. l.* 18. *ff. d. Reb. cred.* ubi Ulpianus videtur diſſentire à

Juliano, cujus contraria ſententia exſtat in *l.* 36. *d. Acq. rer. dom.*

CCXXV.

Cum in mutuo res ejusdem qualitatis & quantitatis ſit reſtituenda, conſequitur, creditori invito nec particularem ſolutionem, nec aliud pro alio poſſe obtrudi. *pr. Inſt. Quib. mod. toll. obl. l.* 2. §. 1. *d. Reb. cred. l.* 3. *Fam. erc.*

CCXXVI.

Ita tamen ut creditori pecunia alterius ſpeciei ſeu monetæ, quam quæ mutuo data fuit, ſolvi poſſit, *arg. l.* 1. *d. Contr. emt. l.* 95. *in f. d. Leg.* 3. *l.* 94. §. 1. *d. Solut.* Senec. *de Benefic.* 6. *c.* 5. niſi vel aliter convenerit. *l.* 3 *d. Reb. cred,* vel creditor ex alia pecuniæ ſpecie damnum paſſurus ſit. *l.* 99. *ff. d. Solut.* Ubi pro *Debitorem* legendum eſſe *Creditorem*, res ipſa loquitur, ut recte obſervarunt Hottomannus aliique. Vide *Epiſt. Gipban. ad Muret. in Epiſtol. Mureti* 2. 23.

CCXXVII.

Si pecuniæ mutuo datæ valor, vel bonitas, ſive interna, ſive externa, mutata ſit, verius eſt, in æſtimatione pecuniæ ineundâ ſemper habendam eſſe rationem temporis, quo mutuum eſt contractum, non quo fit ſolutio, *arg. l.* 3. *ff. d.*
Reb.

Reb. cred. l. 67. *d. Contr. emt. l.* 7. *d. Aur. arg. leg.* niſi mutatio monetæ fiat poſt moram debitoris. *l. pen. & ult. d. Cond. trit.*

CCXXVIII.

Quæſtio, ad quodnam tempus referenda ſit rei debitæ æſtimatio, ſi accreverit, aut decreverit, non habet locum, quando æſtimatio petitur Jure actionis. v. *l.* 28. *ff. d. Novat. l.* 37. *ff. Mand.*

CCXXIX.

Quando autem Æſtimatio petitur officio judicis, & convenit, ut res certo die reddatur, in lite æſtimandâ ſpectatur dies adjectus, ſine diſtinctione, utrum contractus ſit bonæ fidei, an ſtricti juris. *l.* 22. *d. Reb. cred. l. ult. d. Cond. tritic. l.* 59. *d. V. O. l.* 11. *d. Re jud.*

CCXXX.

Quod ſi dies non ſit adjectus, ſed obligatio pure contracta, & res officio judicis æſtimanda ſit per jusjurandum in litem, in judiciis ſtricti juris litis conteſtatæ, in judiciis autem bonæ fidei, rei judicatæ tempus ſpectandum videtur, niſi prius mora ſit commiſſa. v. *l.* 3. §. 2. *ff. Commod. l.* 3. *ff. d. Condict. tritic.*

CCXXXI.

Literarum obligatio nihil aliud eſt quam præſumtum mutuum.

CCXXXII.

Quæ præſumtio cum poſt lapſum biennii fiat præſumtio Juris & de Jure, conſequitur, præſumtum debitorem non poſſe poſt biennium opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, licet onus probandi in ſe ſuſcipiat. *tit. Inſt. d. Literar. oblig. l.* 8. *l.* 10. *l.* 14. *pr.* & §. *ult. C. d. Non numer. pec. l. ult. C. de Cond. ex Lege.*

CCXXXIII.

Jusjurandum *Promiſſorium*, quod vocant, ſeu quo fides data firmatur, uti Jure Civili non magis producit actionem, quam nudum pactum. *l.* 35. §. 1. *ff. d. Jurejur. l.* 95. §. 4. *d. ſolut.*

CCXXXIV.

Ita non poteſt confirmare actus ipſo Jure invalidos. *l.* 7. §. 16. *d. Pact. l.* 112. §. *ult. d. Legat.* 1. *l.* 5. *C. d. Legib.*

CCXXXV.

Jusjurandum Judiciale, licet reo delatum ſit ab actore, qui nihil ipſe probavit, non poteſt recuſari, ſed vel præſtandum vel referendum eſt, niſi reus ſolvere maluit. *l.* 34. §. 6. 7. *l.* 35. *l.* 38. *ff. Jurejur.*

CCXXXVI.

Nec ratio, nec Juris Civilis auctoritas prohibet, quo minus Jusjurandum per procu-

curatorem, in animam domini, præſtari poſſit, *arg. l.* 9. §. *pen. l.* 34. §. 3. *ff. d. Jurejur. l.* 97. *d. Cond. & dem. l.* 13. §. 13. *ff. d. Damn. infect. l. ult.* §. *pen. ff. h. t.* Vide Livium *Hiſtor. lib.* 31. *c. ult.*

CCXXXVII.

Sed & Jusjurandum voluntarium per procuratorem præſtitum ita valet, ut domino inde naſcatur vel actio vel exceptio Jurisjurandi. *d. l.* 9. §. *pen. d. Jurejur.*

CCXXXVIII.

Cauſa Jurejurando Voluntario, vel Judiciali deciſa, nec prætextu perjurii, nec ob inſtrumenta poſtea reperta reſcindi aut retractari poteſt. *l.* 1. *C. d. Reb. cred. l.* 31. *ff. d. Jurejur. l.* 2. *ff. eod.* junct. *l.* 19. *C. d. Tranſact.*

CCXXXIX.

Jusjurandum Neceſſarium (quod in cauſis dubiis, propter inopiam probationis, uni ex litigatoribus, etiam altero invito, deferri ſolet) judex ex officio deferre tenetur. *l.* 3. *C. d. Reb. cred. l.* 1. *ff. d. Jurejur.*

CCXL.

Ita tamen ut hoc Jusjurandum delatum, ex juſtâ cauſâ vel a Judice revocari, vel a Litigatore recuſari poſſit.

CCXLI.

CCXLI.

Juſjurandum Neceſſarium non poteſt a Judice deferri in cauſâ dubiâ, in quâ par eſt utrimque, & plena probatio, ut volunt Duarenus, Donellus, & A. Faber; ſed in quâ judex incertus eſt, ob probationem minus plenam, veluti quæ fit per unum teſtem inculpatum & omni exceptione majorem.

CCXLII.

In quæſtionibus criminalibus Juſjurandum Neceſſarium ſive *Suppletorium*, ſive *Purgatorium*, deferri non poteſt. *l. ult. C. d. Probat. l.* 16. *C. d. Pœn.*

CCXLIII.

Juſjurandum in litem recte dividitur in Juſjurandum *Veritatis*, & *Affectionis*. *l.* 1. *l.* 8. junct. *l.* 2. §. 1. *ff. d. In lit. jur.*

CCXLIV.

Judex poteſt Juſjurandum in litem vel non deferre, vel ei ab initio modum & quantitatem, ne ultra eam juretur, ſtatuere ac præſcribere, vel delatum & præſtitum, ex juſtâ cauſâ non ſequi. *l.* 4. §. 2. *l.* 5. §. 1. *d. In lit. jur. l.* 3. §. 2. *ad Exhib. l.* 18. *pr. d. Dol. mal.*

CCXLV.

Juſjurandum in litem non modo ob dolum,

lum, ſed & ob latam culpam deferri poteſt. *l. 2. C. d. in Lit. jur. l. 5. ff. eod.* junct. *l. 226. d. V. S. l. 1. §. 1. Si menſ. falſ. mod.*

CCXLVI.

In contractu Emtionis Venditionis non poteſt deferri Jusjurandum in litem, *arg. l. 1. 2. 8. ff. d. In lit. jur. l. 4. C. d. Act. emt.*

CCXLVII.

Per Jusjurandum ſive Voluntarium, ſive alterius generis nunquam fit Novatio. *l. 13. §. 3. l. 30. d. Jurejur. l. 25. §. 1. ff. d. Conſtit. pecun. l. ult. C. d. Novat.*

CCXLVIII.

Pœna perjurii non eſt nulla (ut quidam volunt, idque inter nævos & abſurditates Juris Civilis referunt) ſed arbitraria. Vide *l. 22. ff. d. Dol. mal. l. 13. §. ult ff. d. Jurejur. l. ult. Stellion. l. 41. C. de Tranſact. l. 13. C. d Teſtib. &c.* Cicer. *d. Legib. lib. 2. c. 9.* Serv. ad *Virg. Æneid. 1. v. 6.*

CCXLIX.

Condictio *cauſâ datâ, cauſâ non ſecutâ*, non habet locum ad repetendam rem datam ob cauſam, quæ per caſum fortuitum, occaſione implementi contractus, contingentem, impleri non potuit. *l. 3. §. 3.*

§. 3. *l.* 5. §. *ult. ff. l. pen. C. d. Cond. ob cauſ. dator. l.* 5. §. 1. *de Præſcr. verbis.*

C C L.

Aliud juris eſt, ſi cauſa impleri, vel res præſtari nequeat ob caſum mere fortuitum, per quem res æque fuiſſet peritura, etſi contractus non fuiſſet celebratus. Quo ſenſu intelligenda *l. ult. ff. d. Cond. cauſ. dat.*

C C L I.

Quæ *Lex ult.* nec ullâ indigere emendatione, nec cum *Lege* 5. §. *ult. ff. eod. tit.* aut cum *Lege* 5. §. 1. *ff. de Præſcr. verb.* pugnare videtur.

C C L I I.

Si cauſa vel res præſtanda non fuerit præſtita ob caſum fortuitum, qui contigit in perſonâ, vel circa perſonam ejus, qui cauſam vel rem præſtare debebat; ſeu quando impedimentum fortuitum a parte ejus eſt profectum, res, ob cauſam hac ratione non ſecutam, data repeti poteſt. *l.* 15. §. 6. *ff. Locat. cond.*

C C L I I I.

Non ex omnibus contractibus innominatis competit duplex actio, Præſcriptis verbis, & Condictio cauſâ datâ.

CCLIV.

CCLIV.

Condictio indebiti competit non modo ad repetendum id, quod errore Facti, ſed & quod errore Juris ſolutum eſt. *l. pen.* junct. *l.* 14. *ff. d. Cond. indeb. l.* 1. §. 1. *l.* 26. §. 3. *ff. eod. tit. l.* 53. *d. R. jur. l.* 1. *pr. Ut in poſſ. legat.*

CCLV.

Condictio indebiti non competit adverſus eum, qui *ſuum*, vel vere ſibi debitum accepit, licet ſolutio ab alio, quam a vero debitore ſit facta. *l.* 44. *l.* 8. *l.* 36. *ff. d. Cond. ind.*

LIBER XIII.

CCLVI.

Cum Condictio furtiva & Actio rerum amotarum ſint actiones Rei perſecutoriæ, ratio Juris vult, eas heredibus, & contra heredes competere in ſolidum. *l.* 7. *l.* 9. *ff. d. Cond. furt. l.* 6. §. 4. *l.* 21. §. *pen. Rer. amot.*

CCLVII.

Condictio furtiva non modo domino, quod certum eſt, ſed & quandoque ei com-

competit, qui non eſt dominus, quod alii ſine ratione in dubium vocant. v. §. 26. *I. d. Rer. Div.* & ibi Vinn. *l.* 12. §. *ult. d. Cond. furt. l.* 22. *d. Pignor. act.*

CCLVIII.

In contractibus, qui ſolius accipientis utilitatem continent, leviſſimam; in illis, qui ſolius dantis cauſâ ineuntur, latam; in iis, in quibus utriusque contrahentis utilitas verſatur, levem culpam præſtandam eſſe, certiſſimi Juris eſt. v. *l.* 5. § 2. *& ſeqq. ff. Commod. l.* 23. *d. R. J.* Sine lege & ratione diſſentiunt Jac. Gothofr. ad *l.* 23. *ff. d. R. J.* & alii nonnulli.

CCLIX.

Unde conſequitur nec Venditorem in re venditâ, nondum traditâ; nec Conductorem in re conductâ, nec Creditorem in pignore, teneri ad leviſſimam, ſed duntaxat ad latam, levemque culpam. *dd. ll.* & paſſim.

CCLX.

Actioni Pignoratitiæ, ſeu Juri luendi pignoris triginta annorum ſpatio præſcribi poteſt, *arg. l.* 3. 4. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.*

LI-

LIBER XIV.

CCLXI.

Lex 9. *ff. ad L. Rhod. d. Jactu* nullâ videtur indigere emendatione.

CCLXII.

Filiusfam. non poteſt condictione indebiti repetere pecuniam, contra SCtum Macedonianum mutuo acceptam, & ſponte ſolutam. *l.* 7. *§. ult. ff. ad SC. Maced. l.* 40. *ff. d. Cond. ind. l.* 26. *§.* 9. *eod. tit.*

CCLXIII.

Filiusfam. SCto Macedoniano renunciare non poteſt, *arg. l.* 1. *l.* 11. *ad SC. Maced.*

LIBER XVI.

CCLXIV.

Mulier non modo in judicio, ſed & extra judicium SCto Vellejano, ex quavis cauſâ renunciare poteſt. *l.* 40. *D. d. Cond.*

indeb. junct. *l. pen. C. d. Pact. l. ult. §. pen. C. ad. SC. Vellej.*

CCLXV.

Etiam id quod naturâ debetur cum alio debito, civili vel naturali, compenſari poteſt. *l. 6. l.* 14. *ff. d. Compenſ. l.* 5. 6. *C. eod. tit. l.* 36. *d. Admin. tut.*

CCLXVI.

Compenſatio ex cauſâ debiti liquidi *ipſo jure* exſtinguit obligationem. *l.* 4. 10. 21. *ff. l. ult. C. d. Compenſ.*

CCLXVII.

Licet autem ad obligationem, ope compenſationis, *ipſo jure* tollendam, requiratur debitum liquidum, reus tamen compenſationem ex cauſâ non liquidâ, initio litis opponens audiendus videtur.

CCLXVIII.

Compenſatio ut in Commodato locum habere poteſt. *l. ult. pr. C. d. Compenſ. l.* 18. §. 4. *ff. Commod. l.* 15. §. *ult. l.* 59. *ff. d. Furt.*

CCLIX.

Ita in Depoſito nullo modo admittitur. *l. pen. C. Depoſ. l. ult. in f. C. d. Compenſat.*

CCLXX.

Adeo ut Depoſitarius ne quidem ob im-

impenſas neceſſarias Depoſitum retinere poſſit. *l. pen. C. Depoſ.*

CCLXXI.

Nec ſpecies cum ſpecie, nec ſpecies cum genere, ſed tantum genus cum genere compenſari poteſt.

CCLXXII.

Sequeſtratio Neceſſaria eſt ſpecies Depoſiti, adeoque contractus. *l.* 5. 6. 17. *Depoſ.*

CCLXXIII.

Adeo ut ad rem apud Sequeſtrum depoſitam, finita lite, reſtituendam, parti victrici competat actio Sequeſtraria. *l.* 12. §. 2. *Depoſ. l.* 9. §. 3. *d. Dol. mal.*

CCLXXIV.

Sequeſtratio Neceſſaria, non modo pecuniæ numeratæ, ſed & aliarum rerum regulariter eſt prohibita. *t. C. d. Prohibit. ſequeſtrat. pecun.*

CCLXXV.

Cum ſequeſtratio ſit Species Depoſiti; Depoſitarius autem non poſſideat; conſequitur nec Sequeſtrum poſſidere. *l.* 39. *ff. d. Adq. poſſ. l.* 17. §. 1. *Depoſ.*

CCLXXVI.

Quæ *lex* 17. §. 1. hac emendatione in integrum reſtituenda videtur: *Rei depoſitæ*

proprietas apud deponentem manet. Sed & poſſeſſio, ETSI (ſic enim lego pro *Niſi*) *apud Sequeſtrem depoſita eſt. Nam tum demum ſequeſter poſſidet, id* CUM (ſic cum Cl. Böckelmanno legendum ſuſpicor pro ENIM) *agitur eâ depoſitione, ut neutrius poſſeſſioni id tempus procedat.* Et ſic optime convenit Florentino, *dictæ legis* auctori, cum Juliano in *d. l.* 39. *ff. d. Adq. poſſ.*

LIBER XVII.

CCLXXVII.

Ratihabitio non ſemper comparatur Mandato.

CCLXXVIII.

Sed quando Mandato comparatur, quod fit plerumque, ex Ratihabitione æque naſcitur actio mandati, quam ex mandato expreſſo. *l.* 60. *d. Reg. jur.*

CCLXXIX.

Procurator, ſeu Mandatarius, præter dolum, latamque, & levem culpam, etiam tenetur de culpâ leviſſimâ. *l.* 13. *l.* 21. *C. Mand. l.* 24. *C. d. Uſur.*

CCLXXX.

CCLXXX.

Ita tamen ut Mandatarius ob dolum & latam culpam tantum, non ob levem, multo minus ob leviſſimam culpam condemnatus fiat infamis. *l.* 1. *l.* 6. §. 5. *ff. d. His q. not. infam. l.* 21. *C. Mand.* Quo ſenſu intelligendus videtur Cicero in *Orat. pro Roſcio Amer. c.* 38. & 39.

CCLXXXI.

Mandatarius, qui fines mandati exceſſit, ad id quod ultra fines mandati geſſit, nec Mandati, nec Negotiorum geſtorum actionem habet. *l.* 5. *Mand. l.* 31. §. 4. *ff. d. Neg. geſt.*

CCLXXXII.

Cum Mandatum ſit gratuitum. *l.* 1. §. *ult. Mand.* §. *ult. Inſt. eod. tit. l.* 5. §. 2. *Præſcr. verb.* nec ad mercedem, nec ad honorarium ſeu ſalarium, licet pacto, in continenti adjecto, promiſſum, actio Mandati competit. Sed ſalarium, ſi ſit certæ pollicitationis, non niſi extra ordinem peti poteſt. *l.* 7. *l.* 56. §. *pen. ff. l.* 1. *l.* 17. *C. Mand.*

CCLXXXIII.

Cum mandari nec debeant, nec poſſint, niſi facta honeſta; conſequitur turpis, & contra bonos mores initi Mandati nec obligationem ullam eſſe, nec actionem

vel Mandanti, vel Mandatario inde competere. §. 7. *Inſt. l.* 6. §. 3. *l.* 12. §. 11. *l.* 22. §. 6. *ff. Mand.*

CCLXXXIV.

Quanquam, ſi turpe Mandatum impletum ſit, & Mandans, & Mandatarius ex delicto, publicæ vindictæ obligentur, & pari pœna afficiantur. *l.* 7. §. *ult. l.* 8. *ff. d. Juriſd. l.* 1. §. 13. *de Vi & vi arm. l.* 11. §. 3. *ff. d. Injur.* licet Mandatarius fines turpis Mandati exceſſerit.

CCLXXXV.

Unde quæſitum eſt, An tam is, qui mandavit, ut Titius vulneretur, ſed non occidatur, quam ipſe Mandatarius, teneatur de occiſo, & ordinariâ Legis Corneliæ pœnâ plectendus ſit, ſi Mandatarius Titium occiderit? Quod ut affirmemus & ratio, & manifeſta Juris auctoritas volunt, jubent. *l.* 15. *ff. ad Leg. Corn. de ſicar. l* 38. §. 5. *ff. d. Pœn. l.* 6. *C. ad L. Jul. de vi publ.*

CCLXXXVI.

Mandatum tam morte Mandantis, quam Mandatarii, re integrâ, exſtinguitur. *l.* 26. *l.* 27. §. 3. *ff. Mandat.* §. 10. *Inſt. eod. tit.*

CCLXXXVII.

Cum quæſtus & lucrum non minus ſint de

de naturâ Societatis, quam ex voto Sociorum, nec Lex, nec Ratio admittit Societatem *Leoninam*, quæ eſt ipſo jure nulla. *l.* 29. *§. ult. ff. pro Soc.*

CCLXXXVIII.

Nihil tamen impedit, quo minus valeat pactum de inæqualibus lucri & damni partibus, licet æqualis ſit pecuniæ & operæ collatio; &, verſâ vice, de partibus æqualibus, *arg. §.* 1. *Inſt. d. Societ. l.* 1. *§.* 6. *Depoſ. l.* 23. *d. R. J.*

CCLXXXIX.

Quod ſi nihil de partibus lucri & damni expreſſâ ſociorum voluntate ſit definitum, natura Societatis vult, lucri damnique partes eſſe æquales; non, ut quidam contendunt, proportione Arithmeticâ, quam vocant, ſed Geometricâ, id eſt, pro modo rerum ab utrâque parte collatarum. *§.* 1. *Inſt. l.* 6. *l.* 80. *ff. pro Soc.*

CCXC.

Unde & illud conſequitur, uno ſocio rum pecuniam ſine operâ, altero operam & induſtriam ſine pecuniâ, conferente, quæſtum, non ipſam pecuniam, fieri communem: niſi vel aliud convenerit, vel induſtria alterius ſocii reſpondeat valori

E 4 pecu-

pecuniæ, ab alio collatæ, *arg.* §. 2. *Inſt. d. Societ. l.* 52. §. 2. *ff. pro Soc.*

CCXCI.

Effectus Societatis univerſalis omnium bonorum ac fortunarum tum alii complures ſunt, tum hic, quod ſocius teneatur ferre partem ſumtuum, quos alter ſocius vel in ſtudia filiorum, vel in dotem filiarum erogavit. *l.* 73. *ff. pro Soc. l.* 39. §. 3. *ff. Famil. erc.*

CCXCII.

Effectus Societatis, ſive Univerſalis, ſive Singularis, eſt non modo obligatio, producens actionem pro ſocio utrimque directam, quod certum eſt; ſed & quod ſocius ſocium in ſolidum æri alieno obligare poſſit, ſi modo pecunia in rem vel arcam communem ſit verſa, vel expreſſe in cauſam ſocietatis credita. *l.* 27. *l.* 82. *ff. pro Soc. l.* 1 §. *ult. d. Exercit. act. l.* 13. §. *ult ff. d. Inſtit. act.* Quod fere communis Doctorum Schola negat.

CCXCIII.

Sic tamen ut unus ſocius in ſolidum conventus, id, quod ſolus ſolvit, actione pro ſocio a ſociis ſuis pro ratâ repetere poſſit. Quo ſenſu intelligendus Ulpianus in *l.* 24. *ff. pro Soc.*

CCXCIV.

CCXCIV.

Ex quibus omnibus facili negotio tolli poſſunt difficultates *legis* 69. *ff. pro Soc.* quæ, inter Cruces JCtorum relata, Cujacio aliisque viſa eſt intricatiſſima, & tantum non deſperatæ explicationis. In quâ *lege* nullus dubito, quin per *Nundinas*, ipſo optimo ſui interprete Ulpiano, intelligendæ ſint *Epulæ*, in Nundinis emtæ. Sic ut operam perdant & Fornerius, & Grotius, & Salmaſius, & quotquot locum minime corruptum emendare conantur.

CCXCV.

Cum Societas ſive Univerſalis, ſive Singularis, Jus quoddam fraternitatis in ſe habeat. *l.* 63. *ff. pro Soc.* & Ratio ſuadet, ut ſocius cum ſocio mitius ac humanius agat, & auctoritas Juris noſtri jubet, ut ſocius a ſocio in ſolidum conventus non teneatur in plus, quam honeſte facere poteſt, ſalvo beneficio *competentiæ;* quod non modo ſociis univerſorum bonorum, ſed & ſingularis Rei datum eſt. *d. l.* 63. junct. *l.* 16. *ff. d. Re jud.* Inter quas *leges* qui diſſidium quærunt, & Ulpianum ab Ulpiano diſſentire ſtatuunt, ut Ulpiani mentem capere non videntur, ita humilius, quam par eſt, de præſtantiâ artis noſtræ ſentiunt.

Digitized by Google

CCXCVI.

Societas ita exſtinguitur morte unius ex ſociis, ut heres ſocii defuncti, etſi expreſſo pacto ita conventum ſit, non ſuccedat in Societatem. *l.* 63. §. *ult. l.* 65. §. 9. *ff.* §. 5. *Inſt. de Societ.*

LIBER XVIII.

CCXCVII.

Si erratum ſit in materiâ, vel ſubſtantiâ rei venditæ, Venditio ipſo Jure nulla eſt. *l.* 9. §. *ult. & ll. ſeqq. ff. d. Contr. emt.*

CCXCVIII.

Quod ſi aliquid ſubſtantiæ venditæ adſit, veluti ſi res inaurata vendatur pro re ex ſolido auro confecta, valet venditio. *l.* 14. *ff. eod. tit.*

CCXCIX.

Si emptor, non ignorans qualitatem rei venditæ, eam ab ignorante venditore comparaverit, videtur tamen pretium repetere poſſe, *arg. l.* 11. §. *ult. d. Act. emt. l.* 8. *C. d. Reſc. vend. l.* 1. *C. Si vend. pign. arg. l. ult.* §. *ult. C. Commun. de legat. l.* 3. 4. *C. d. His quæ vi met.*

CCC.

C C C.

Regula Juris Civilis, quod *naturaliter* liceat contrahentibus in pretio Emtionis, & in mercede Locationis ſe circumſcribere, ut vera, ita nec rationi contraria eſt. *l.* 16. *§. pen. ff. d. Minor. l.* 22. *§. ult. Loc. cond. l.* 8. *C. d. Reſc. vend.*

C C C I.

Ab Emtione, utriuſque conſenſu perfectâ, diſſenſu alterius, invito altero, ne quidem cum diſpendio, vel reſtitutione arrharum in duplum, recedi poteſt, *arg. l.* 3. 6. *C. d. Reſc. vend. l.* 17. *§.* 3. *ff. Commod. l.* 5. *C. d. O. & A.*

C C C I I.

Sed quæ ab initio erat voluntatis, poſtea fit neceſſitatis obligatio. *dd. ll.* Ita tamen ut a ratione Juris Civilis aliena non ſit eorum ſententia, qui negant Venditori inevitabilem impoſitam neceſſitatem, rem venditam *præciſe* tradendi, ſed eum præſtando id, quod intereſt, liberari contendunt, ſive rei tradendæ facultatem habeat, ſive non. Vide *l.* 13. *§.* 1. *d. Re jud.* junct. *l.* 72. *l.* 81. *ff. d. V. O. l.* 1. *pr. l.* 11. *§.* 2. 9. *l.* 12. *ff. d. Act. emt. l.* 4. *C. eod.*

C C C I I I.

Quæ *Lex* 13. *§.* 1. ita cum Haloandro reſtituenda videtur ſano ſenſui, quo caret

ret in Editione Florentinâ: *Si quis promiſerit prohibere ſe, ne quid damni ſtipulator patiatur, & faciat, ne quod ex eâ re damnum ſtipulator habeat, facit quod promiſit: Si minus, quia non facit, quod promiſit, in pecuniam numeratam condemnatur, ſicut evenit in omnibus faciendi obligationibus.*

C C C I V.

Ut incrementum & emolumentum, ita & periculum & damnum rei Venditæ, nondum traditæ, quod vel caſu fortuito, vel leviſſimâ Venditoris culpâ contingit, ad Emtorem, non ad Venditorem pertinet. §. 3. *Inſt. d. Contr. emt. l.* 7. 8. *ff. l.* 1. *l. pen. l. ult. C. d. Peric. & comm. rei vend.* a quâ ſententiâ, conſtanter in Jure noſtro traditâ, diſſentiunt Cujacius, eumque ſecuti pauci alii, ſed moti argumentis, ad quæ facilis eſt reſponſio;

C C C V.

Quanquam nec Veteres JCtos omnes in hac quæſtione conſenſiſſe, vel ſolum evincit Africani Reſponſum in *l.* 33. *ff. Loc. cond.*

C C C V I.

Æque certi Juris eſſe videtur vino, aliâve re fungibili certâ in ſpecie venditâ, periculum ſtatim ad Emtorem pertinere, niſi convenerit ut ante deguſtetur. *l.* 1.

l. 1. *l.* 4. *ff.* *l.* 2. *C. d. Peric. & commod. rei vend.*

CCCVII.

Ut & illud, Venditorem ex naturâ contractus non teneri præſtare niſi dolum, latam, & levem culpam. *l.* 5. §. 2. *ff. Commod.* *l.* 23. *ff. Reg. jur.*

CCCVIII.

Jus accreſcendi, nec in aliis contractibus locum habet. *l.* 110. *ff. d. Verb. obl.*

CCCIX.

Nec, vendita hereditate, ad Emtorem, ſed ad Venditorem ſeu heredem pertinet. *l.* 2. §. 1. *d. Her. vel act. vend.* *l.* 31. *l.* 53. §. 1. *d. Acq. vel om. hered.* *l.* 43. *ff. ad SC. Treb.*

CCCX.

Venditor, ſi fundum ſimpliciter diſtrahat, non expreſſâ qualitate, quod nulli ſervituti obnoxius ſit, nihilominus eum liberum & ab omni ſervitute immunem præſtare tenetur. *l.* 15. §. 1. *de Evict.* *l.* 61. *ff. d. Ædil. ed.*

CCCXI.

Res alienâ pecuniâ emta non eſt ejus, cujus erat pecunia, ſed emtoris. *l.* 6. *C. d. Rei vind.* Quod adeo verum eſt, ut ne quidem res a marito pecuniâ dotali comparata, fiat dotalis, nec uxori, ne quidem ſoluto matrimonio, ſed marito ejus dominium,

nium, & ex eo rei vindicatio acquiratur. *l.* 12. *C. d. Jure dot. l. ult. C. d. Serv. pign. dat. man.* Nec movet in contrarium *l.* 54. *ff. d. Jure dot.* cujus explicationem petendam puto ex inſcriptione: *Gajus ad Edictum Prætoris Urbani, titulo de prædiatoribus.* Ut ſcilicet Res ex dotali pecuniâ comparatæ dotales eſſe *videantur*, (id eſt, reverâ ſint) non utique ſemper, & quoad omnem effectum, ſed in ſolâ cauſâ *prædiatoriâ*. v. Sueton. in *Claud. c.* 9. & ibi Interpretes. Cic. in *Orat. pro Balbo cap.* 20. *ad Attic. lib.* 12. *ep.* 14. 17.

CCCXII.

Cum pretium in Emtione Venditione oporteat eſſe verum & juſtum, adeoque quodammodo reſpondere debeat valori rei venditæ, non eſt ab æquitate alienum celebre Reſcriptum *legis* 2. *C. d. Reſc. vend.* quo Venditori ultra dimidium juſti pretii, etiam ſine dolo adverſarii, læſo, datur facultas a venditione recedendi, vel id, quod juſto pretio deeſt, petendi. Quod beneficium, ex eâdem æquitatis ratione etiam Emtori, ultra dimidium læſo competere verius videtur, licet diſſentiat Cujacius.

CCCXIII.

Licet enim Conſtitutio *d. legis* 2. ſit nova,

nova, & ante eam aliud juris fuerit, (quod ſine ratione negant plerique Doctores) adeoque interpretatione potius reſtringenda videatur, quam extendenda;

CCCXIV.

Nulli tamen dubitamus, quin ex præſumtâ mente legislatoris producenda ſit ad caſus ſimiles, in quibus eadem æquitatis ratio idem deſiderat remedium. Adeoque Beneficium *d. legis* 2. licet loquatur de *fundo venundato*, etiam locum habere videtur in venditione rei mobilis.

CCCXV.

Sed & hoc Beneficium, licet in ſola Venditione ſit conceſſum, ob eandem æquitatis & humanitatis rationem, in aliis quoque bonæ fidei negotiis, quæ aliquam cum Emtione affinitatem habent, ut in Locatione & Permutatione, ac rerum communium Diviſione, locum habere vix dubitandum videtur, *arg. l.* 2. *ff. & princ. Inſt. d. Locat. cond. l.* 2. *ff. d. Rer. permut. l.* 1. *C. Comm. utr. jud. l.* 4. *C. d. Evict.*

CCCXVI.

In Dote locum non habet, quatenus ibi non deſideratur læſio ultra duplum, ſed etiam minor læſio in melius reformatur. *l.* 6. *§. ult. l.* 12. *§.* 1. *ff. d. Jure dot.*

CCCXVII.

CCCXVII.

In negotiis autem ſtricti Juris, quia in illis ceſſat eadem æquitatis & humanitatis ratio, prorſus locum non habet, adeoque nec in Donatione, *arg. l.* 22. *l.* 18. *§. ult. ff. de Donat. l.* 2. *C. de Evict.*

CCCXVIII.

Nec in Transactione, *arg. l.* 10. 19. 20. *C. d. Tranſ.* junct. *l.* 2. *C. d. Re jud. l.* 29. *C. d. Tranſ. l.* 78. *§. ult. ff. ad SC. Treb. l.* 65. *§.* 1. *d. Cond. ind.* Diſſentit Pinellus cum paucis aliis, audaci ſane, ut Vinnio noſtro videtur, interpretatione, & multarum litium ſemina continente.

CCCXIX.

Cæterum cum hoc Beneficium conſulat indemnitati Venditoris ignorantis, non videtur competere Venditori, qui non ignoravit valorem rei Venditæ, & ſciens tam vili vendidit, *arg. l.* 203. *d. Reg. jur. l.* 1. *§.* 5. *ff. d. Injur. l.* 1. *C. Si maj. fact. rat. hab.*

CCCXX.

Sicut nec ei, qui huic Beneficio renunciavit, *arg. l.* 69. *d. Reg. jur. l.* 46. *ff. l. pen. C. de Pact.*

CCCXXI.

Cum autem renunciare non videatur is, cujus

cujus res publice ſub haſtâ, vel auctoritate magiſtratus vendita eſt, verius videtur huic Beneficio locum eſſe etiam in Venditione, auctoritate Judicis, & in diſtractione publicâ ſub haſtâ factâ; Niſi auctoritas magiſtratus acceſſerit non meræ ſolemnitatis gratiâ, ſed ut controverſia de æſtimatione rei, cauſâ cognitâ, dirimeretur; quo caſu hoc Beneficium ceſſare verius videtur. Vide *l.* 16. *C. d. Reſc. vend. l.* 1. 2. *C. d. Fid. & jur. haſt. fiſc. l.* 11. *C. d. Præd. minor. l. ult. C. Si in cauſ. judic. pign. cap.*

CCCXII.

Juſtum autem pretium, cujus defectum Emptorem ſupplere, vel rem venditam reſtituere oportet, hic videtur eſſe quanti res valebat tempore contractus. *l.* 8. *C. d. Reſc. vend.* ut vult communis DD. Schola; non dimidium juſti pretii, ut pauci diſſentientes contendunt.

CCCXIII.

Cum Venditor per Beneficium *dictæ legis* 2. venditionem reſcindat, ſic ut omnia retro agantur, & in priſtinum ſtatum reſtituantur, verius videtur, Emtorem non modo fundum emtum, ſed & fructus ex eo interim perceptos reſtituere debere, ita ut, facta compenſatione cum uſuris

F

ris pretii, non niſi fructus ſuperflui reſtituantur, *arg. l.* 4. *l.* 6. *pr. d. Addict. in diem. l.* 5 *ff. d. Lege commiſſ. l.* 23. §. 9. *l.* 31. §. *pen. ff. d. Ædil. ed.*

CCCXXIV.

Sed & pignus interim ab Emptore in re venditâ, ex cauſâ *legis* 2. redhibendâ, conſtitutum luendum, & res ab ejus onere libera reſtituenda eſt. Pignus autem, reſtitutâ re venditâ, *ipſo jure* non exſtinguitur, *arg. l.* 3. 4. *ff. Quib. mod. pign. l.* 43. §. 8. *ff. d. Ædil. ed.*

CCCXXV.

Ad effectum hujus Beneficii perſequendum non videtur aliud remedium competere, quam ordinaria actio emti, locati, vel ſimilis, *arg. d. l.* 2. *C. d. Reſc. vend. l.* 2. *C. d. pact. int. emt. & vend.*

CCCXXVI.

Quæ cum ſit Actio civilis, adeoque perpetua, conſequitur Beneficio *dictæ legis* 2. non præſcribi, niſi ſpatio triginta annorum, *arg. pr. Inſt. d. Perpet. & temp. act. l.* 3. 4. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.*

CCCXXVII.

Præter Remedium *legis* 2. etiam reſcinditur venditio per Pactum de retrovendendo, quod, ut heredibus competit, ita

ita & aliis cedi poſſe videtur. *l.* 2. *C. d. Pact. int. emt. & vend. arg. l. ult. C. d. Her. vel act. vend.*

CCCXXVIII.

Hoc pacto ſimpliciter interpoſito, Emtor ſtatim, & primo quoque die retrovendere tenetur. *d. l.* 2. *C. d. Pact. int. emt.*

CCCXXIX.

Juri reluendi, ex pacto de retrovendendo, præſcribitur ſpatio 30. annorum, *arg. l.* 3. 4. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.*

CCCXXX.

Cum res, vi hujus pacti, retrovenditur, non modo res ipſa, ſed & incrementum alluvionis & inſulæ in flumine natæ, venditori præſtandum eſt. *l.* 9. §. 4. *l.* 33. §. 1. *ff. d. Uſufr.* Non autem theſaurus, ante Retrovenditionem, in fundo inventus, *arg.* §. 39. *Inſt. de Rer. div.*

CCCXXXI.

Effectus pacti de retrovendendo eſt, quod venditor perſonali actione venditi experiri, & emtorem cogere poſſit, ut ſibi retrovendat. *d. l.* 2. *C. d. Pact. int. emt.* Non autem, ut dominium vi hujus pacti, ipſo Jure ad venditorem revertatur, ſic ut rem ante reſtitutionem vindicare poſſit. Quod eſt commentum Inter-

 pre-

pretum, a ratione Juris alieniſſimum. *l.* 20. *C. l.* 7. *§.* 5. *ff. d. Pact. l. pen. C. d. Ædil. act. d. l.* 2. *C. d. Pact. int. emt.*

C C C X X X I I.

Emtor, qui promiſit ſe nulli alii, quam ipſi Venditori, rem emtam vendere velle, non intelligitur pactus de retrovendendo, ut venditor inde agere poſſit.

C C C X X X I I I.

Jus Retractus Hebræis originem, Græcis & Romanis Legibus incrementum, ſed moribus confirmationem & formam debet, adeoque verum non eſt, quod quidam volunt, jus Retractus in jure Civili prorſus eſſe ignotum. v. *Levit.* 25. 25. *Numer.* 36. 9. *Jerem.* 32. 7. *l.* 35. *ff. d. Minor. l.* 60. *ff. d. Pact. l.* 16. *d. Reb. auct. jud. poſſid. lib.* 2. *Feud. tit.* 9. *§.* 1. *& tit.* 26. *§. Titius filios* 12. *lib.* 5. *Feudor. tit.* 13. *cap. conſtitutus* 8. X. *d. Reſt. in int.*

C C C X X X I V.

Retractus Gentilitius, quem vocant, & in Venditione, & in fundo in longum tempus locato, & in Emphyteuſin conceſſo, & in Datione in ſolutum locum habet.

C C C X X X V.

Non vero in Donatione, nec in Dote, nec in Legato, nec in Tranſactione, nec in

in Diviſione, nec in Permutatione fundi cum fundo.

CCCXXXVI.

Quæſitum eſt, An filius Feudum, conſentiente Domino, a patre venditum, mortuo patre, retrahere poſſit? Negandum videtur, ſi filius patri heres exſtiterit, *arg. l.* 14. *C. d. R. V. l.* 31. *ff. d. Liber. cauſ. l.* 41. *ff. d. Evict. l.* 149. *d. Reg. jur.* Affirmandum autem, ſi non ſit heres, *arg. l.* 1. *C. d. Bon. matern. l.* 11. *ff. d. Reg. jur.*

CCCXXXVII.

Etiam liberi legitimati, ſive per ſubſequens matrimonium, ſive per Reſcriptum Principis, habent jus Retractus Gentilitii. *Nov.* 89. *c.* 8. 9. *Nov.* 74. *c.* 2. *Nov.* 117. *c.* 3. *cap.* 6. X. *Qui fil. ſint legit.*

CCCXXXVIII.

Uti in Jure Retractus conſanguineorum Jure ac numero non videntur cenſendi liberi adoptivi, *arg. l.* 76. *ff. d. Cond. & dem.*

CCCXXXIX.

Ita nihil obſtat, quo minus agnati, poſt venditionem concepti natique, Jure hujus Retractus gaudere poſſint.

CCCXL.

Sed & feminæ, Conſanguineorum nomine contineri, & Jure Retractus Genti-

tilitii gaudere videntur, *arg. l.* 1. *d. V. S. l.* 4. *D. Unde cogn. l.* 1. *C. d. Legit. her.*

C C C X L I.

Proximum Conſanguineum etiam Jure Retractus uti poſſe contra Remotiorem, & Juris auctoritati, & rationi æquitatis convenientius videtur.

L I B E R XIX.

C C C X L I I.

Cum Locatio Conductio iisdem fere Juris regulis conſiſtat, quibus Emtio Venditio. *pr. Inſt. d. Loc. cond.* conſequitur, etiam hujus Contractus naturam non niſi tribus ſubſtantialibus requiſitis perfici atque abſolvi, Conſenſu, Re, ſeu rei vel operæ uſu, ac Mercede.

C C C X L I I I.

De mercede quæſitum eſt, An, ut pretium in Emtione, ſic merces in Conductione, conſiſtere debeat in pecuniâ numeratâ? Quod omnino affirmandum eſt. §. 2. *Inſt. d. Loc. cond. l.* 5. §. 2. *ff. de Præſcr. verb.*

CCCXLIV.

CCCXLIV.

Cum colonus fructuum perceptorum fiat dominus. §. 36. *Inſt. d. Rer. div. l.* 26. §. 1. *l.* 61. §. 8. *ff. d. Furt.* res autem pereat periculo domini. *l.* 9. *C. d. Pign. act.* conſequitur fructuum perceptorum periculum, & interitum ad Conductorem, ſeu Colonum, non vero ad Locatorem pertinere. *l.* 15. §. 2. *ff. Loc. cond.*

CCCXLV.

Ex eadem ratione damnum caſu fortuito, vel culpâ conductoris leviſſimâ in ipſâ re locatâ contingens, non ad Conductorem, ſed ad Locatorem pertinet. *l.* 6. *l.* 9. *C. d. Pign. act. l.* 23. *d. Reg. jur. l.* 5. §. 2. *Commod. l.* 15. §. 2. *l.* 25. §. 6. *ff. Loc. cond.*

CCCXLVI.

Unde conſequitur Inquilinum, de incendio in ædibus conductis orto, actione locati non teneri, ſi ſuam tum in aliis, tum in eligendâ operâ familiarium ſuorum diligentiam probare poſſit. *dd. ll.*

CCCXLVII.

Cum in Locatione ſolus rei uſus, vel operæ locatæ utilitas transferatur, conſequitur, rei locatæ dominium ne quidem ex conductione decennii, vel prolixioris

temporis tranſire in Conductorem. *l.* 39. *ff. Loc. cond. l.* 2. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.*

CCCXLVIII.

Contractus Locationis Conductionis, tranſit tam ad conductoris, quam locatoris heredes. *l.* 10. *C. Loc. cond. l.* 24. *§. ult. ff. §. ult. Inſt. d. Locat. cond.* Non autem ad ſucceſſores ſingulares. Unde apparet, Emtorem, Legatarium, aliosque id genus ſingulari titulo ſuccedentes, non teneri ſtare locationi, ab auctore, unde rem conſecuti ſunt, factæ, niſi expreſſe aliter pactum conventum ſit. *l.* 25. *§.* 1. *l.* 32. *ff. l.* 9. *C. Loc. cond. l.* 120. *§. ult. d. Legat.* 1.

CCCXLIX.

Conductor, qui non ſolvit integri biennii penſiones, ob moram, ex re conductâ expelli poteſt, licet ad plures annos conduxerit. *l.* 54. *§.* 1. *l.* 56. *ff. Loc. cond.* non item ob moram unius anni, licet quidam diſſentiant, per male intellectam *legem* 3. *C. eod. tit.*

CCCL.

Conductorem, qui ſimpliciter in ſe ſuſcepit caſuum fortuitorum præſtationem, etiam teneri de caſibus inſolitis, verius eſt,

eſt, *arg. l.* 23. *ff. d. Reg. jur. l.* 78. §. *ult. ff. d. Contr. emt.*

CCCLI.

Actio *præſcriptis*, vel, ut rectius legit Hottomannus, *perſcriptis verbis*, ex quolibet contractu innominato, adeoque etiam ex contractu *Facio, ut des*, competere videtur. *l.* 18. *l.* 22. *ff. d. Præſcr. verb. l.* 7. §. 2. *ff. d. Pact. l.* 6. *C. d. Tranſact.*

Digitized by Google

LIBER XX.

I.

Pignus *antichreſticum* eſſe ſpeciem veri pignoris, non minus certum eſſe videtur. *l.* 11. §. 1. *d. Pign. & hyp. l.* 8. *ff. In quib. cauſ. pign. l.* 33. *ff. d. Pign. act.*

II.

Quam in eo legitimum uſurarum modum excedi poſſe, niſi exceſſus ſit immodicus. *d. l.* 8. *ff. In quib. cauſ. pign. l.* 14. *l.* 17. *C. d. Uſur.*

III.

Unde conſequitur, ex pignore antichreſtico etiam competere actionem hypothecariam in rem. *l.* 33. *ff. d. Pign. act.* cui non eſt contraria *l.* 11. §. 1. *ff. d. Pign. & hyp.*

IV.

Pactum Commiſſorium in pignoribus nullâ unquam expreſſâ lege videtur fuiſſe probatum;

V.

Sed a creditoribus in necem & fraudem de-

debitorum, contra manifeſtam æquitatem, uſitatum, adeoque ab Imperatore Conſtantino ſummâ ratione prohibitum eſt. *l. ult. C. d. Pact. pign.*

V I.

Eadem ratione prohibitum eſt pactum, ut propriâ privatâque auctoritate vel creditori liceat occupare pignus promiſſum, vel debitori recuperare traditum. *l.* 3. *C. d. Pign. & hyp. l.* 13. *ff. Quod met. cauſ. l.* 176. *ff. d. Reg. jur.*

V I I.

Sub generali omnium bonorum hypothecâ etiam continentur res venales, *arg. l.* 34. *ff. d. Pign. & hyp. l.* 34. *§. ult. ff. d. Uſufr.*

V I I I.

Sic tamen ut ad illas non pertineat effectus hypothecæ generalis, ſive expreſſæ ſive tacitæ, quod omnes & ſingulas debitoris res ita afficiat, ut alienari nequeant, niſi cum ſuo onere, & ſalvo jure hypothecæ. *l.* 4. *C. d. Evict. l. un. C. Rem alien. gerent. l.* 67. *d. Contr. emt.*

I X.

De rebus, quæ pignori obligari poſſunt, vera eſt regula Gaji tradita in *l.* 9. *§.* 1. *ff. d. Pign. & hyp.* Ex quâ conſequitur, etiam ſer-

ſervitutes, tam prædiales, quam perſonales, tam ruſticas, quam urbanas, creditori pignoris loco conſtitui poſſe. *l.* 72. *d. Reg. jur. l.* 11. *§. ult. l.* 12. *ff. d. Pign. & hyp.*

X.

Quæ regula fallit in rebus alienis; quæ licet vendi poſſint. *l.* 28. *d. Contr. emt. l.* 30. *ff. d. Act. emt.* tamen jus in re pignoris in illis conſtitui nequit. *l.* 2. *C. Si alien. res pign. tit. C. d. Reb. al. non alien. & prohib. rer. alien. vel hyp.*

X I.

Ita tamen ut, ſi debitor dominium rei alienæ, quam creditori, etiam ſcienti, pignori obligaverat, nactus ſit, pignus convaleſcat, & actio hypothecaria creditori competere videatur. Vide *l.* 1. *l.* 16. *§.* 1. *ff. d. Pign. & hyp. l.* 5. *C. Si alien. res pign.*

X I I.

Ex diverſo pignus in re alienâ, ignorante domino, conſtitutum convaleſcit, ſi dominus debitori, qui id pignus conſtituit, heres exiſtat. *l.* 22. *d. Pign. & hyp.* Quam inter & *legem* 41. *ff. d. Pign. act.* Hottomannus, Pacius aliique, ſine ratione videntur agnoſcere diſſenſum.

X I I I.

Hypothecæ tacitæ & legitimæ præcipuum

puum exemplum eſt in invectis & illatis, quæ in prædiis Urbanis pro penſione & damno tacite pignori obligantur, in Ruſticis autem nullo modo. *l.* 4. *ff. l.* 5. *C. In quib. cauſ. pign. l.* 5. *C. Locat.* §. 3. *Inſt. d. Interd.*

X I V.

Invecta & illata a ſecundo conductore, primo locatori tacite obligantur pro eâ, quâ ipſe, non quâ primus conductor ædes conduxerat, mercede. *l.* 11. §. 5. *ff. d. Pign. act.*

X V.

Æque certum eſt in ſpecie propoſitâ, conductorem ſecundum, locatori primo ſolventem, liberari. *d. l.* 11. §. 5.

X V I.

Quæ tamen ſpecies tacitæ hypothecæ cum non ex ſola legis auctoritate, ſed etiam ex præſumta locatoris & conductoris voluntate, & hujus alienandi ac pignorandi poteſtate oriatur. *l.* 4. *l.* 6. *In quib. cauſ. pign. l.* 4. *ff. d. Pact.* bona minoris 25. annis, qui ſine curatoris ſui auctoritate domum vel cubiculum conduxit, non videntur tacito pignoris nexu obligari, *arg. l.* 1. 2. *d. Reb. eor. l.* 22. *C. d. Adm. tut.*

XVII.

XVII.

Jus tacitæ hypothecæ ex ſingulari privilegio illis, qui in reparationem atque inſtaurationem domus ruinoſæ vel collapſæ crediderunt, conceſſum, minime extendendum eſt ad illos, qui in navem reparandam, vel inſtruendam crediderunt. *l.* 1. *ff. In quib. cauſ. pign. arg. l.* 14. 15. *d. Legib.*

XVIII.

Inter creditores de protopraxiâ, ſeu præferentiâ & concurrentiâ contendentes, hypothecarii præferuntur chirographariis, privilegiati illis, qui nullo, vel minori gaudent privilegio. Inter privilegiatos autem primum locum deberi ei, qui credidit in militiam emendam, eâ lege, ut reliquis eſſet potior; ſecundum mulieri in repetendâ dote; tertium autem fiſco in cauſâ Primipilari, poſt *Novellam* 97. *c.* 3. 4. verius videtur.

XIX.

Inter creditores hypothecarios non privilegiatos valet regula tralatitia, *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*; ſic ut prioritas temporis, non modo ex annis, menſibus, diebus, ſed & ex horis, & horarum momentis ſit æſtimanda. V. *l.* 2. *l.* 11. *pr.*

l. 12.

l. 12. §. 2. *ff. l.* 2. 4. 7. 8. *C. Qui potior. in pign.*

X X.

Quæ tamen regula non videtur habere locum in pignore Prætorio. *l.* 12. *ff. d. Reb. auct. jud. l.* 5. §. 2. 3. *Ut in poſſ. legat. l.* 15. §. 15. *ff. d. Damn. inf.*

X X I.

Effectus pignoris legitime conſtituti eſt, non modo ut inde creditori competat jus in re, & ex eo actio hypothecaria, ſed & quod creditor, ſi debitor moram in ſolvendo committat, etiam poſt unicam denunciationem pignus diſtrahere poſſit. *l.* 4. *C. d. Diſtr. pign. l.* 87. §. 1. *d. Legat.* 2.

X X I I.

Pignus exſtinguitur iisdem modis, quibus obligatio principalis, quâ ſublatâ etiam ſolvitur vinculum pignoris. *l.* 5. 6. *ff. Quib. mod. pign. vel hyp. ſolv. l.* 9. §. 3. *ff. d. Pign. act.*

X X I I I.

Ita tamen ut, ſoluto debito, pro quo pignus erat obligatum, etiam ob chirographariam pecuniam, pro quâ non erat obligatum, pignus retineri poſſit. *l. un. C. Etiam ob chirograph. pec.*

XXIV.

XXIV.

Sed & per uſucapionem, & per præſcriptionem longiſſimi temporis, non modo a tertio poſſeſſore, verum etiam a creditore poſteriore in præjudicium prioris, & ab ipſo debitore factam, pignus exſtingui verius eſt. *l.* 1. 2. *C. Si adverſ. cred. præſcr. opp. l. ult. C. d. O. & A. l.* 3. 4. 7. *C. d. Præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.*

LIBER XXI.

XXV.

Edictum Ædilitium nec in Locationibus, nec in Donationibus, locum habet. *l.* 62. *l.* 63. *ff. d. Ædil. ed.*

XXVI.

Evictionis præſtatio nec in hereditate vel actione, nec in alia univerſitate venditâ, quantum ad ſpecies ſeu corpora ſingularia evicta attinet, nec in donatione, nec in legato ſpeciei locum habet. *l.* 4. *l.* 14. *l.* 15. *ff. d. Her. vel act. vend. l.* 40. *l.* 74. *§. ult. ff. l.* 1. *C. d. Evict. l.* 70. *l.* 71. *§.* 1. *d. Legat.* 1.

XXVII.

XXVII.

Ut autem Emptor, vel qui alio oneroſo titulo rem nactus eſt, auctorem ſuum ad præſtationem evictionis convenire poſſit, neceſſe eſt ut ei mature denunciet, litem motam eſſe, licet auctor id non ignoret. *l.* 49. *de Judic. l.* 29. §. *ult. l.* 49. *ff. d. Evict.*

XXVIII.

Vel cauſa *notorie* injuſta eſſe videatur.

XXIX.

Ut autem mature & in tempore fiat denunciatio, ſufficit eam vel ante, vel poſt litem conteſtatam fieri, modo non prope ipſam fiat condemnationem. *l.* 29. §. *ult. ff. d. Evict.*

XXX.

Si plures res ſimul ſint venditæ, unâ evictâ, actio evictionis non datur in ſolidum, ſed ejus tantum rei nomine, quæ evicta eſt, licet omnes uno pretio venditæ, vel eodem venditionis inſtrumento comprehenſæ ſint. *l.* 72. *ff. Evict.* junct. *l.* 33. *ff. d. Act. empt.*

XXXI.

Si una ex pluribus rebus venditis evicta ſit, reliquæ autem tanti ſint, ut etiam rei evictæ pretium æquent, minuitur

condemnatio, ſi quidem uno confuſoque pretio plures fuerint venditæ. *l.* 42. *ff. d. Act. empt.* ſin diſtincto res ſingulæ pretio ſint diſtractæ, non minuitur. *l.* 47. *d. Evict.* In quâ nihil neceſſe eſt verba finalia cum Cujacio interpolationi Triboniani adſcribere.

LIBER XXII.

XXXII.

Uſuræ, ſi modus legibus præſcriptus non excedatur, & Naturali, & Divino, & Gentium, & Civili Jure ſunt permiſſæ, adeo ut nec Theologo, nec JCto, nec Philoſopho dignum ſit, de hujus ſententiæ veritate dubitare. Ut mirum ſit, id, cum paucis aliis, ſerio negare Franc. Hottomannum, in *Illuſtribus Quæſtionibus cap.* 40.

XXXIII.

Ante Leges XII. Tabularum, uſurarum modus non tam juris auctoritate definitus, quam ex arbitrio & avaritiâ fœneratorum æſtimatus fuiſſe videtur, donec Decemviri ſanxerunt, ut, qui unciario

fœ-

fœnore amplius fœneraſſet, quadruplo lueret. V. Tacit. 6. *Annal. cap.* 16. Fœnus autem unciarium, ut alias aliorum ſententias, a viris doctis erudite confutatas, miſſas faciam, nihil aliud fuiſſe videtur, quam duodecima pars uſuræ centeſimæ, id eſt, nummus unus annuus pro uſu, ſeu mutuo centum nummorum.

XXXIV.

Inter Uſuras, Fœnus, & Intereſſe, tam apud JCtos noſtros, quam alios Latinos auctores, magna eſt differentia. v. *l.* 8. *ff. de Eo, quod certo loc.*

XXXV.

Uſuræ in ſtricti Juris negotiis non niſi ex ſtipulatu debentur. *l.* 3. *C. d. Uſur. l.* 24. *ff. d. Præſcr. verb.*

XXXVI.

Adeoque nec ex pacto, nec ex morâ, ne quidem poſt litem conteſtatam. *d. l.* 3. *l.* 1. *C. d. Cond. ind.*

XXXVII.

Fructus autem in ſtricti Juris actionibus præſtantur poſt litem conteſtatam, non ante. *l.* 38. §. 7. *ff. d. Uſur. l.* 15. *d. Cond. ind. l.* 78. §. *ult. d. V. O. l.* 31. *ff. de Reb. cred.*

XXXVIII.

In Negotiis bonæ fidei Uſuræ debentur & ex ſtipulatu, & ex pacto, & ex morâ. *l.* 32. §. 2. *l.* 17. §. 4. *ff. d. Uſur. l.* 2. *C. eod. tit. l.* 2. *C. Depoſ.*

XXXIX.

Nuda uſurarum indebitarum præſtatio longo tempore per errorem facta, non inducit obligationem uſurarum in futurum. *l.* 7. *C. d. Uſur. l.* 28. *C. d. Pact. l.* 31. *ff. d. Oper. libert.*

XL.

Legitimum Uſurarum modum excedere adeo prohibitum eſt, ut non modo uſuræ ſupra modum promiſſæ peti nequeant, ſed & ſolutæ ſorti imputentur. *l.* 102. §. *ult. ff. d. Solut.* & quod improbi fœneratores ipſo Jure notentur infamiâ, atque inſuper extra ordinem criminaliter accuſari, & puniri poſſint, *arg. l.* 1. 2. 3. *ff. Stellion. l.* 9. §. 5. *d. Publ. & vectig.*

XLI.

Sunt autem improbi fœneratores, non tantum illi, qui excedunt legitimum uſurarum modum, ſed & qui uſuras uſurarum exigunt. *l.* 26. §. 1. *d. Cond. ind. l.* 27. *ff. d. Re jud.* quod æque eſt prohibitum, *dd. ll. l.* 28. *C. d. Uſur. l. ult. C. d. Uſur. rei jud.*

XLII.

X L I I.

Et qui pergunt petere uſuras ſupra duplum, cum illæ, ſive adhuc ſolvendæ, ſive jam ſolutæ, ſortem æquant. *d. l.* 26. §. 1. *ff. d. Cond. ind. l.* 10. *l.* 27. *C. d. Uſur. Nov.* 138.

X L I I I.

Qui modus etiam in pœnis conventionalibus, quæ ſtipulationibus aliisque contractibus adjiciuntur, ſervandus videtur, ſic ut nec in illis, ſi caſus ſit certus, duplum excedere liceat. *l. un. C. d. Sentent. quæ pro eo, quod int. profer.*

X L I V.

Mora, quam in bonæ fidei judiciis etiam legitimam eſſe uſurarum cauſam dictum eſt, committitur vel per interpellationem a creditore factam, vel per lapſum diei certi.

X L V.

Etiam unicam interpellationem ſufficere, ad conſtituendum vel debitorem, vel creditorem in morâ, conſtanter a Veteribus traditum, nec a nobis dubitandum eſt. *l.* 32. *pr. ff. d. Uſur. l.* 23. *d. V. O. l.* 87. §. 1. *d. Leg.* 2. & paſſim.

X L V I.

Nec minus verum eſt, in obligatione in diem certum contractâ, ſolum diei

 lap-

lapſum debitorem conſtituere in morâ, adeoque diem interpellare pro homine, nec ullam creditoris admonitionem eſſe neceſſariam. *l.* 23. *ff. d. O. & A. l.* 23. *ff. d. Rec. arb. l.* 4. *§. ult. d. Lege commiſſor. l.* 12. *C. de Contr. & commit. ſtip.* Diſſentiunt Ferrettus, Bachovius, & pauci alii, ſed ſine lege & ratione.

XLVII.

Pœna moræ, a creditore admiſſæ eſt, quod in bonæ quidem fidei judiciis ei denegentur actiones, in judiciis autem ſtricti juris debitori competat exceptio doli mali, ad elidendam vim actionis, creditori ſummo jure competentis. vide *l.* 30. *l.* 72. *ff. d. Solut. l.* 73. *§. ult. ff. d. V. obl.*

XLVIII.

Pœna moræ, a debitore commiſſæ eſt, quod res non tantum pereat periculo ipſius, atque is omnem in eâ non modo culpam, ſed & caſum præſtet. *l.* 5. *d. Reb. cred. l.* 23. 24. *l.* 82. *§.* 1. *ff. d. V. O.*

XLIX.

Sed & quod perpetuetur obligatio. *l.* 91. *§.* 3. *ff. d. V. obl.* non modo in præjudicium ipſius debitoris, ſed & fidejuſſoris ejus. *l.* 24. *§.* 1. *ff. d. Uſur.* v. *l.* 8. *ff. d. Eo quod cert. loc.*

L.

L.

Atque hoc, non alio ſenſu intelligendum videtur, quod dici ſolet, moram debitoris etiam fidejuſſori nocere. *l.* 88. *ff. d. Verb. obl. l.* 58. §. 1. *d. Fidejuſſ.*

L I.

Pœna moræ ceſſat, ſi mora vel oblatione debitoris, vel ſtipulatione, aut acceptatione creditoris, poſt moram factâ, vel alio modo ſit purgata; quam moræ purgationem etiam in ſtipulatione conditionali locum habere, verius eſt. *l* 8. *pr. l.* 14. *ff. d. Novat. l.* 72. §. 1. *ff. d. Solut.*

L I I.

In *lege* 5. *ff. d. Fœnore naut.* nulla videtur neceſſaria emendatio, niſi quod pro *conditiones* omnino legendum ſit *conditiones.*

L I I I.

Probatio non male, nec inepte videtur dividi in *Plenam*, & *Semiplenam.*

L I V.

Jusjurandum, Præſumptio, Fama, Fuga rei, Confeſſio adverſarii, non ſunt propriæ & legitimæ probationis ſpecies.

L V.

Solæ quæſtiones Facti, non Juris, ſunt objectum probationis. *l.* 2. *ff. de Jur. & fact.*

fact. ign. t. C. Ut quæ deſunt advoc. part. jud ſuppl.

L V I.

Actori incumbit onus probationis, non reo. *l.* 2. 21. *ff. l.* 8. 23. *C. d. Probat.* §. 4. *Inſt. d. Legat.*

L V I I.

Tum quia, actore non probante, reus, etſi nihil ipſe præſtiterit, abſolvitur. *l.* 4. *C. d. Edendo.*

L V I I I.

Tum quia reus, qui negat, probare non poteſt, quatenus negat: factum enim negantis nulla eſt per rerum naturam probatio. *l.* 23. *C. d. Probat. l.* 10. *C. de Non numer. pec.*

L I X.

Ex eadem ratione conſequitur, poſſeſſorem, utpote ſolo poſſeſſionis commodo tutum, non teneri edere titulum ſuæ poſſeſſionis. *l.* 2. *C. d. Probat. l. ult. C. d. R. V.* §. 4. *Inſt. d. Interd. l.* 4. *C. d. Edend.*

L X.

In inſtrumentis publicis non eſt neceſſaria Divini hominis invocatio, *arg. Nov.* 73. *Nov.* 47. *c.* 1. & 2.

L X I.

Inſtrumenta privata, ſi non aliis admini-

niculis adjuventur, ſola non probant, niſi contra ſcribentem. *l.* 5. 6. 7. 13. *C. d. Probat. l.* 26. *§. ult. ff. Depoſ.*

L X I I.

Sed & ſola authentica, quæ vocant, non exempla, nec quæ ſe referunt ad auctoritatem alterius inſtrumenti, fidem faciunt. *l.* 2. *ff. d. Fid. inſtr. l.* 7. *& Auth. Si quis C. d. Edend.*

L X I I I.

Verba Pauli 5. *ſentent. tit.* 15. *§.* 4. *& legis* 1. *C. d. Teſtib. contra ſcriptum teſtimonium non ſcriptum non fertur*, nihil continent vel falſi, vel abſurdi, vel obſcuri, ſi cum aliis legibus conferantur.

L X I V.

Mulieres, ſi ſola teſtamenta excipias, in omnibus, etiam criminalibus & capitalibus cauſis, teſtimonii dicendi jus habent. *l.* 20. *§.* 6. *Qui teſt. fac. poſſ. l.* 3. *§.* 5. *l.* 18. *ff. d. Teſtib.* Unde conſequitur, mulieres & in codicillis teſtes eſſe poſſe.

L X V.

Neminem poſſe eſſe teſtem in cauſâ propriâ, ex quâ vel lucrum ſperat, vel damnum metuit, ipſa ratio docet. *l.* 10. *ff. l.* 10. *C. d. Teſtib.*

L X V I.

Ex eadem ratione nec pater in cauſâ filii,

filii, nec filius in cauſâ patris, nec frater in cauſâ fratris teſtis eſſe poteſt. *l.* 9. *ff. l.* 6. *C. d. Teſtib.*

L X V I I.

Advocati & procuratores, in cauſâ, in quâ patrocinium præſtiterunt, teſtimonii dicendi jus non habent. *l. ult. ff. d. Teſtib.*

L X V I I I.

Teſtes jure Romano coram partibus, & ab ipſis partibus, adverſus quas, & a quibus producuntur, examinandi ſunt. *l. pen. C. d. Teſtib. l.* 18. *C. d. Fid. inſtr. Nov.* 90. *c. ult. l.* 27. §. 7. *ff. ad L. Jul. d. adult. Euangel. Matth.* 26. 62. *Marc.* 14. 57. & *ſeqq.* Diſſentit communis fere Doctorum Schola, per male intellectam *l.* 14. *C. de. Teſtib.*

L X I X.

Infames nec in criminalibus cauſis teſtes eſſe poſſunt, nec in civilibus plenam fidem merentur. *l.* 3. *pr.* & §. 5. *l.* 13. *l.* 21. *ff. d. Teſtib.*

L X X.

Nec uni teſti, nec teſtibus injuratis fides habenda eſt. *l.* 9. *C. d. Teſtib. l.* 20. *ff. de Quæſtion.*

L X X I.

Quilibet judex poteſt in teſtem, qui apud

apud ſe falſum teſtimonium dixit, pro qualitate delicti animadvertere. *l.* 13. *l.* 14. *C. d. Teſtib.*

L X X I I.

Subditus in cauſa Principis, civis in cauſa Civitatis teſtis eſſe poteſt. *l.* 6. §. 1. *d. Rer. div. l* 10. §. 4. *ff. d. in jus voc. l.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusque univerſit.*

L X X I I I.

Actor reo tenetur edere inſtrumenta ad probandam exceptionem, quamquam reus actori inſtrumenta ad probandam intentionem ſuam edere non teneatur. *l.* 7. *C. d. Teſtib. l.* 4. *l. ult. C. d. Edend.*

L X X I V.

Scriptura non pertinet ad eſſentiam vel ſubſtantiam contractuum, aliorumque negotiorum, ſed ad probationem tantum. *l.* 4 *ff. l.* 9. *l.* 10. *C. d. Fid. inſtrum. l.* 17. *C. d. Pact. l.* 9. *C. d. Nupt.*

L X X V.

Scripturæ diverſæ & contrariæ, ab eâdem parte prolatæ, eodem modo ut teſtes ſibi non conſtantes, & vacillantes, fidem probationis ſibi invicem derogant. *l.* 14. *C. d. Fide inſtrum. c. imputari X. eod. tit. l.* 188. *d. Reg. jur.*

L X X V I.

Juris ignorantia & ruſticitas in delictis, con-

contra jus naturæ, gentium aut divinum admiſſis, neminem excuſat. *l.* 2. *C. d. In jus voc.* §. 1. *Inſt. d. Vi bonor. rapt. l.* 1. *ff. d. Legib. l.* 2. *in f. d. Term. mot.*

L X X V I I.

Ut Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus, ita nec ſuum petentibus, aut de damno vitando laborantibus nocet. *l.* 7. 8. *ff. l.* 11. *C. d. Jur. & fact. ign.*

L X X V I I I.

Adeo ut Juris ignorantia nec exceptionem ad jus quæſitum retinendum, nec condictionem ad jus amiſſum repetendum tollere poſſit. *d. l.* 7. *l.* 9. *eod. tit.*

L X X I X.

Quare juris ignorantia non impedit vel condictionem indebiti, errore Juris ſoluti. vide *ſuprà part.* 1. *theſ.* 254.

L X X X.

Vel acquiſitionem fructuum ex re alienâ, juſto titulo & bonâ fide poſſeſſâ. *l.* 25. §. 6. *d. Pet. her.* Ex iisdem principiis pendet intellectus *legis* 9. *pr. ff. d. Jur. & fact. ign.*

LI-

LIBER XXIII.

LXXXI.

Sponſalia *de præſenti* ex ratione Juris Civilis vulgo creduntur eſſe ipſum matrimonium. Sed, ſi rem ex vero æſtimemus, ſponſalia de præſenti tam Jure Civili, quam Jure Canonico differunt a matrimonio, eâdem ratione ut matrimonium contrahendum, a matrimonio contracto. Quanquam quodammodo veniant appellatione Matrimonii, & in multis effectum Nuptiarum habeant.

LXXXII.

In lucris tamen nuptialibus ac dotalibus, & ſimilibus matrimonii effectibus ſponſa, ſive *de præſenti*, ſive *de futuro* non cenſetur jure uxorum. *l.* 24. *C. d. Nupt. l.* 3. *ff. d. J. dot. l. un. ff. Unde vir & uxor. l.* 32. *§. pen. ff. d. Donat. int. V. & ux.*

LXXXIII.

Ad ſponſalia nec concepta ſtipulationis verba, nec ſcriptura, nec teſtes requiruntur. *l.* 4. 7. *ff. d. Sponſal. l.* 9. *l.* 13. *C. d. Nupt.*

LXXXIV.

lapſum debitorem conſtituere in morâ, adeoque diem interpellare pro homine, nec ullam creditoris admonitionem eſſe neceſſariam. *l.* 23. *ff. d. O. & A. l.* 23. *ff. d. Rec. arb. l.* 4. *§. ult. d. Lege commiſſor. l.* 12. *C. de Contr. & commit. ſtip.* Diſſentiunt Ferrettus, Bachovius, & pauci alii, ſed ſine lege & ratione.

X L V I I.

Pœna moræ, a creditore admiſſæ eſt, quod in bonæ quidem fidei judiciis ei denegentur actiones, in judiciis autem ſtricti juris debitori competat exceptio doli mali, ad elidendam vim actionis, creditori ſummo jure competentis. vide *l.* 30. *l.* 72. *ff. d. Solut. l.* 73. *§. ult. ff. d. V. obl.*

X L V I I I.

Pœna moræ, a debitore commiſſæ eſt, quod res non tantum pereat periculo ipſius, atque is omnem in eâ non modo culpam, ſed & caſum præſtet. *l.* 5. *d. Reb. cred. l.* 23. 24. *l.* 82. *§.* 1. *ff. d. V. O.*

X L I X.

Sed & quod perpetuetur obligatio. *l.* 91. *§.* 3. *ff. d. V. obl.* non modo in præjudicium ipſius debitoris, ſed & fidejuſſoris ejus. *l.* 24. *§.* 1. *ff. d. Uſur.* v. *l.* 8. *ff. d. Eo quod cert. loc.*

L.

L.

Atque hoc, non alio ſenſu intelligendum videtur, quod dici ſolet, moram debitoris etiam fidejuſſori nocere. *l.* 88. *ff. d. Verb. obl. l.* 58. §. 1. *d. Fidejuſſ.*

L I.

Pœna moræ ceſſat, ſi mora vel oblatione debitoris, vel ſtipulatione, aut acceptatione creditoris, poſt moram factâ, vel alio modo ſit purgata; quam moræ purgationem etiam in ſtipulatione conditionali locum habere, verius eſt. *l* 8. *pr. l.* 14. *ff. d. Novat. l.* 72. §. 1. *ff. d. Solut.*

L I I.

In *lege* 5. *ff. d. Fœnore naut.* nulla videtur neceſſaria emendatio, niſi quod pro *conditiones* omnino legendum ſit *condictiones.*

L I I I.

Probatio non male, nec inepte videtur dividi in *Plenam*, & *Semiplenam.*

L I V.

Jusjurandum, Præſumptio, Fama, Fuga rei, Confeſſio adverſarii, non ſunt propriæ & legitimæ probationis ſpecies.

L V.

Solæ quæſtiones Facti, non Juris, ſunt objectum probationis. *l.* 2. *ff. de Jur. & fact.*

fact. ign. t. C. Ut quæ deſunt advoc. part. jud ſuppl.

L V I.

Actori incumbit onus probationis, non reo. *l.* 2. 21. *ff. l.* 8. 23. *C. d. Probat.* §. 4. *Inſt. d. Legat.*

L V I I.

Tum quia, actore non probante, reus, etſi nihil ipſe præſtiterit, abſolvitur. *l.* 4. *C. d. Edendo.*

L V I I I.

Tum quia reus, qui negat, probare non poteſt, quatenus negat: factum enim negantis nulla eſt per rerum naturam probatio. *l.* 23. *C. d. Probat. l.* 10. *C. de Non numer. pec.*

L I X.

Ex eadem ratione conſequitur, poſſeſſorem, utpote ſolo poſſeſſionis commodo tutum, non teneri edere titulum ſuæ poſſeſſionis. *l.* 2. *C. d. Probat. l. ult. C. d. R. V.* §. 4. *Inſt. d. Interd. l.* 4. *C. d. Edend.*

L X.

In inſtrumentis publicis non eſt neceſſaria Divini nominis invocatio, *arg. Nov.* 73. *Nov.* 47. *c.* 1. & 2.

L X I.

Inſtrumenta privata, ſi non aliis admini-

niculis adjuventur, ſola non probant, niſi contra ſcribentem. *l.* 5. 6. 7. 13. *C. d. Probat. l.* 26. §. *ult. ff. Depoſ.*

L X I I.

Sed & ſola authentica, quæ vocant, non exempla, nec quæ ſe referunt ad auctoritatem alterius inſtrumenti, fidem faciunt. *l.* 2. *ff. d. Fid. inſtr. l.* 7. *& Auth. Si quis C. d. Edend.*

L X I I I.

Verba Pauli 5. *ſentent. tit.* 15. §. 4. *& legis* 1. *C. d. Teſtib. contra ſcriptum teſtimonium non ſcriptum non fertur*, nihil continent vel falſi, vel abſurdi, vel obſcuri, ſi cum aliis legibus conferantur.

L X I V.

Mulieres, ſi ſola teſtamenta excipias, in omnibus, etiam criminalibus & capitalibus cauſis, teſtimonii dicendi jus habent. *l.* 20. §. 6. *Qui teſt. fac. poſſ. l.* 3. §. 5. *l.* 18. *ff. d. Teſtib.* Unde conſequitur, mulieres & in codicillis teſtes eſſe poſſe.

L X V.

Neminem poſſe eſſe teſtem in cauſâ propriâ, ex quâ vel lucrum ſperat, vel damnum metuit, ipſa ratio docet. *l.* 10. *ff. l.* 10. *C. d. Teſtib.*

L X V I.

Ex eadem ratione nec pater in cauſâ

 filii,

filii, nec filius in cauſâ patris, nec frater in cauſâ fratris teſtis eſſe poteſt. *l.* 9. *ff. l.* 6. *C. d. Teſtib.*

L X V I I.

Advocati & procuratores, in cauſâ, in quâ patrocinium præſtiterunt, teſtimonii dicendi jus non habent. *l. ult. ff. d. Teſtib.*

L X V I I I.

Teſtes jure Romano coram partibus, & ab ipſis partibus, adverſus quas, & a quibus producuntur, examinandi ſunt. *l. pen. C. d. Teſtib. l.* 18. *C. d. Fid. inſtr. Nov.* 90. *c. ult. l.* 27. §. 7. *ff. ad L. Jul. d. adult. Euangel. Matth.* 26. 62. *Marc.* 14. 57. *& ſeqq.* Diſſentit communis fere Doctorum Schola, per male intellectam *l.* 14. *C. de. Teſtib.*

L X I X.

Infames nec in criminalibus cauſis teſtes eſſe poſſunt, nec in civilibus plenam fidem merentur. *l.* 3. *pr. &* §. 5. *l.* 13. *l.* 21. *ff. d. Teſtib.*

L X X.

Nec uni teſti, nec teſtibus injuratis fides habenda eſt. *l.* 9. *C. d. Teſtib. l.* 20. *ff. de Quæſtion.*

L X X I.

Quilibet judex poteſt in teſtem, qui apud

apud ſe falſum teſtimonium dixit, pro qualitate delicti animadvertere. *l.* 13. *l.* 14. *C. d. Teſtib.*

L X X I I.

Subditus in cauſâ Principis, civis in cauſâ Civitatis teſtis eſſe poteſt. *l.* 6. §. 1. *d. Rer. div. l* 10. §. 4. *ff. d. in jus voc. l.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusque univerſit.*

L X X I I I.

Actor reo tenetur edere inſtrumenta ad probandam exceptionem, quamquam reus actori inſtrumenta ad probandam intentionem ſuam edere non teneatur. *l.* 7. *C. d. Teſtib. l.* 4. *l. ult. C. d. Edend.*

L X X I V.

Scriptura non pertinet ad eſſentiam vel ſubſtantiam contractuum, aliorumque negotiorum, ſed ad probationem tantum. *l.* 4 *ff. l.* 9. *l.* 10. *C. d. Fid. inſtrum. l.* 17. *C. d. Pact. l.* 9. *C. d. Nupt.*

L X X V.

Scripturæ diverſæ & contrariæ, ab eâdem parte prolatæ, eodem modo ut teſtes ſibi non conſtantes, & vacillantes, fidem probationis ſibi invicem derogant. *l.* 14. *C. d. Fide inſtrum. c. imputari X. eod. tit. l.* 188. *d. Reg. jur.*

L X X V I.

Juris ignorantia & ruſticitas in delictis, con-

contra jus naturæ, gentium aut divinum admiſſis, neminem excuſat. *l.* 2. *C. d. In jus voc.* §. 1. *Inſt. d. Vi bonor. rapt. l.* 1. *ff. d. Legib. l.* 2. *in f. d. Term. mot.*

LXXVII.

Ut Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus, ita nec ſuum petentibus, aut de damno vitando laborantibus nocet. *l.* 7. 8. *ff. l.* 11. *C. d. Jur. & fact. ign.*

LXXVIII.

Adeo ut Juris ignorantia nec exceptionem ad jus quæſitum retinendum, nec condictionem ad jus amiſſum repetendum tollere poſſit. *d. l.* 7. *l.* 9. *eod. tit.*

LXXIX.

Quare juris ignorantia non impedit vel condictionem indebiti, errore Juris ſoluti. vide *ſupra part.* 1. *theſ.* 254.

LXXX.

Vel acquiſitionem fructuum ex re alienâ, juſto titulo & bonâ fide poſſeſſâ. *l.* 25. §. 6. *d. Pet. her.* Ex iisdem principiis pendet intellectus *legis* 9. *pr. ff. d. Jur. & fact. ign.*

LI-

LIBER XXIII.

LXXXI.

Sponſalia *de præſenti* ex ratione Juris Civilis vulgo creduntur eſſe ipſum matrimonium. Sed, ſi rem ex vero æſtimemus, ſponſalia de præſenti tam Jure Civili, quam Jure Canonico differunt a matrimonio, eâdem ratione ut matrimonium contrahendum, a matrimonio contracto. Quanquam quodammodo veniant appellatione Matrimonii, & in multis effectum Nuptiarum habeant.

LXXXII.

In lucris tamen nuptialibus ac dotalibus, & ſimilibus matrimonii effectibus ſponſa, ſive *de præſenti*, ſive *de futuro* non cenſetur jure uxorum. *l.* 24. *C. d. Nupt. l.* 3. *ff. d. J. dot. l. un. ff. Unde vir & uxor. l.* 32. *§. pen. ff. d. Donat. int. V. & ux.*

LXXXIII.

Ad ſponſalia nec concepta ſtipulationis verba, nec ſcriptura, nec teſtes requiruntur. *l.* 4. 7. *ff. d. Sponſal. l.* 9. *l.* 13. *C. d. Nupt.*

LXXXIV.

LXXXIV.

Sponſalia contrahi poſſunt etiam a pueris ac puellis annum ætatis ſeptimum egreſſis. *l.* 14. *ff. d. Sponſal.* Sic ut hac in parte derogatum ſit Legi Juliæ & Papiæ Auguſti, quâ vetuit, ne quam habere ſponſam liceret, niſi quam biennio poſt, uxorem habere per ætatem liceret, hoc eſt, non niſi decem annos natam. Sueton. in *Aug. cap.* 34. Dio Caſſ. *lib.* 54. cujus mutationis plenam fidem facit Gajus in *l.* 17. *ff. d. Sponſalib.* In quo loco, integro, ut videtur, & incorrupto, Cujacius majore temeritate, quam neceſſitate expungit verba, *omnium vel*, tanquam ſpuria & abundantia.

LXXXV.

Utraque Nuptiarum definitio, & Juſtiniani in §. 1. *Inſt. d. Patr. pot.* & Modeſtini in *l.* 1. *ff. d. Ritu nupt.* eſt omnibus numeris perfecta & abſoluta.

LXXXVI.

Cum Jure Civili Nuptias ſolus conſenſus perficiat. *l.* 30. *d. Reg. jur. l.* 15. *d. Cond. & dem.* conſequitur ad formam ac ſubſtantiam Nuptiarum non requiri, nec unquam requiſitam fuiſſe ſolemnem illam uxoris ſponſæve deductionem in domum ma-

mariti. *d. l.* 30. *l. pen. d. Don. int. V. & ux. l.* 22. *l.* 24. *C. d. Nupt.*

LXXXVII.

Nec Benedictionem Sacerdotalem, ſeu Eccleſiaſticam, in jure noſtro ignotam, & non niſi poſterioribus temporibus a Leone Philoſopho introductam per *Novellam* 89.

LXXXVIII.

Nuptias eſſe contractum, ut Donello videtur, nec ex dictis definitionibus, nec aliunde probari poteſt, cum nihil ſit falſius hac ſententiâ, & a ratione juris alienius.

LXXXIX.

Communio bonorum inter conjuges Romanos ipſo jure locum non habuit. *l. ult. ff. d. In rem verſ. l.* 1. §. 15. *d. Sc. Silan.* quanquam expreſſa conventione conſtitui potuerit. v. *l.* 17. §. 1. *ff. Sol. matr. l.* 16. §. *ult. ff. d. Alim. vel cib. legat.* & Martial. *lib.* 4. *epigr.* 74.

XC.

Præter conſenſum contrahentium, ad Nuptias etiam requiritur conſenſus patris, vel avi, in cujus poteſtate ſunt poſiti, ſic ut eum conſenſum, ad facultatem matrimonii contrahendi liberis tribuendam, etiam *præcedere* oporteat. *pr. Inſt. d. Nupt.*

Nupt. Si non præceſſerit, conjunctio illa non matrimonium, ſed ſtuprum, liberi inde nati, non legitimi, ſed ſpurii ſunt. *d. pr.* junct. §. 12. *Inſt. d. Nupt.* Cum autem ratihabitio in negotiis ipſo Jure nullis non habeat vim *retrogradam*, & effectum conſenſus in tempus præteritum; nec liberi ſpurii Jure Civili poſſint legitimari; conſequitur veriſſimum eſſe, id quod multi affirmant, multi negant, ſcilicet matrimonium a filiis filiabusve familias ſine conſenſu patris celebratum, per ratihabitionem patris, poſtea ſuperveniențem, in futurum quidem, (ut ſcilicet liberi poſt eam nati legitimi ſint) ſed non retro fieri legitimum, ut liberi ante ratihabitionem nati conſequantur jura liberorum legitimorum. v. *l.* 11. *d. Stat. hom. l.* 13. §. 6. *ff. ad L. Jul. d. adult. l.* 13. *pr. ff. d. His qui not. infam. arg. l.* 65. §. 1. *ff. d. Rit. nupt. l.* 6. *l.* 24. *C. d. Nupt.*

X C I.

Prohibitio Nuptiarum in lineâ collaterali inæquali ob affinitatis reverentiam non videtur extendenda ultra caſus, expreſſâ auctoritate Juris Divini vel Civilis prohibitos, adeo ut non videatur *analogice* procedendum a caſu prohibito, ad caſum non prohibitum ſimilem. Ex. gr.

gr. Quæſitum eſt, an ſoror poſſit nubere viduo ſororis prædefunctæ? Quod negandum: non quia, ut Vinnio videtur, ſimilis conjunctio, ſcilicet fratris cum viduâ fratris, interdicta eſt, *Levit.* 18. 14. ſed quia illa conjunctio nominatim prohibetur in *l.* 5. *C. d. Inceſt. & inut. nupt.*

X C I I.

Porro quæſitum eſt, cum prohibitum ſit viduam patrui uxorem ducere. *Levit.* 18. 14. & *c.* 20. 20. an non ſimiliter prohibitum cenſeatur, viduo amitæ vel materteræ nubere, vel, quod idem eſt, an non prohibitum ſit matrimonium cum gloris vel leviri filiâ ſeu puellâ natâ ex defunctæ uxoris fratre vel ſorore? Quod negamus.

X C I I I.

Rationes hujus ſententiæ, licet paucis probatæ, nec paucæ, nec dubiæ ſunt. (1) Quia prohibitio Nuptiarum in lineâ collaterali eſt juris poſitivi & prohibitorii, quod derogat Juri Naturali, quo omnis conjunctio eſt permiſſa, exceptâ eâ, in quâ eſt inſita quædam turpitudo, ut inter adſcendentes & deſcendentes in infinitum. Jam vero lex prohibitoria & derogatoria, maxime in re favorabili, ut eſt matrimonium, non eſt interpretatione extendenda, ſed reſtringenda. vide *l.* 64. *ff. d. Cond. &*

H *dem.*

dem. l. 19. *in f. ff. d. Lib. & poſt. her. inſt. l.* 28. §. 2. *ff. Ex quib. cauſ. maj.* (2) Quia nec Jus Divinum, nec Jus Civile in prohibitione Nuptiarum gradus ſolet computare, ſed caſus & perſonas prohibitas naturaliter deſignare. v. *l.* 17. §. 2. *d. Ritu nupt.* (3) Quia apud Romanos jura affinitatis morte unius e conjugibus exſtinguebantur. v. *l.* 3. §. 1. *ff. d. Poſtul. l. pen. ff. d. Jure dot. l.* 22. *d. Re jud.* etiam in prohibitione Nuptiarum, quemadmodum M. Craſſus defuncti fratris viduam, Metellus autem filiam ex defunctæ uxoris ſuæ ſorore procreatam, nemine contradicente, nec facti inſoleſcentiam mirante, uxorem duxit. Val. Max. *lib.* 1. *c.* 5.

XCIV.

Hinc conſequitur, Principem, & alios, penes quos eſt ſumma poteſtas, de caſu in theſi XCII. propoſito, aliove ſimili, qui expreſſis verbis in Jure Divino, aut Legibus Moſaicis non eſt prohibitus, diſpenſare poſſe, ſi forte jure municipali aut conſuetudine, illa conjunctio ſit interdicta. Quod pluribus exemplis probare in proclivi eſſet, ſi exemplis potius, quam legibus & rationibus res eſſet decidenda.

XCV.

Cum ad perfectionem matrimonii ſolus re-

requiratur conſenſus; conſenſui autem contrarius ſit error, dolus, metus; conſequitur, errorem circa ſubſtantiam matrimonii, veluti in perſonâ ſponſi, aut ſponſæ, facere matrimonium ipſo jure nullum, *arg. l. 9. ff. d. Contr. empt. l. 9. ff. d. Her. inſt.*

XCVI.

Cum autem virginitas non ſit ſubſtantialis matrimonii qualitas, nec requiſitum neceſſarium, error circa virginitatem non eſt impedimento, quo minus matrimonium ſit juſtum & validum; veluti ſi quis ignorans compreſſam aut vitiatam ab alio, quam virginem putabat, uxorem duxerit, *arg. l. 11. §. 1. d. Contr. empt.*

XCVII.

Licet maritus, ſtupro probato, invitus non cogatur vitiatam in matrimonio retinere, ſed petere poſſit, ut matrimonium ex hac cauſâ officio magiſtratus reſcindatur. *Deuter.* 22. 20, 21. *arg. l.* XI. §. 5. *ff. d. Action. emt. Novell. Leon.* 93.

XCVIII.

Vis & metus licet non tollat omnem conſenſum; matrimonium tamen metu juſto contractum videtur eſſe ipſo jure nullum. *l.* 21. §. 3. *ff. Quod met. cauſ. l.* 14.

 C. d.

C. d. Nupt. l. 134. *d. Verb. obl. l. pen. in f. C. d. Sponſal.*

XCIX.

Eodem modo ut quodlibet matrimonium contra præcepta juris contractum eſt ipſo Jure nullum, & omnibus juſti ac legitimi conjugii effectibus caſſum & deſtitutum. §. 12. *Inſt. d. Nupt.* Quale eſt matrimonium clandeſtinum filiorum, filiarumque familias injuſſu patris contractum. *d.* §. 12. junct. *pr. Inſt. d. Nupt. l.* 11. *d. Stat. hom.* Quod non tam matrimonii nomine ac jure cenſendum, quam ſtupri crimine & pœnâ notandum ac plectendum eſt. *d.* §. 12. *Inſt. d. Nupt.*

C.

Cum autem ſtuprum poſt *Novellam* 115. non ſit juſta exheredationis cauſa, verius eſt nec filiumfamilias uxorem ducentem, nec filiamfamilias nubentem ſine patris conſenſu, ob hanc ſolam cauſam poſſe exheredari.

CI.

Licet liberi ex hac furtivâ & clandeſtinâ conjunctione nati, ipſo Jure nec patri, nec avo ſuccedant; ſic ut, hos quidem quod attinet, nulla opus ſit exheredatione.

C I I.

Matrimonium ſolvitur morte naturali & divortio. Mors autem civilis, ut deportatio, non ſolvit vinculum matrimonii. *l.* 13. §. 1. *ff. l.* 24. *C. d. Donat. int. V. & ux. l.* 1. *C. d. Repud. Nov.* 22. *c.* 13.

C I I I.

Pater non poteſt dirimere ſeu diſſolvere matrimonium liberorum, ſemel legitime cóntractum, aut filium filiamve a conjuge abducere. *l.* 1. §. *ult. ff. d. Lib. exhib.*

C I V.

Matrimonii favore inventa eſt Dos; cujus, durante matrimonio, verum & abſolutum dominium pertinet ad maritum, non ad uxorem. *princ. Inſt. Quib. alien. lic.* §. 40. *Inſt. d. Rer. div.* §. 2. *Inſt. d. Uſuc. l.* 1. §. 1. *l.* 1?. §. 2. *d. Fund. dot. l.* 7. §. 3. *ff. l.* 23. *C. d. Jure dot.*

C V.

Quanquam maritus alienare nequeat res dotales immobiles inæſtimatas. *pr. Inſt. Quib. alien. tit. ff. & C. d. Fund. dot.* & in adminiſtratione earum teneatur præſtare dolum, latam, levemque culpam. *l.* 17. *pr. de Jure dot. l.* 18. §. 1. *ff. Solut. matr.*

C V I.

Adeo verum eſt maritum, finito per

mortem aut divortium matrimonio, teneri ad dotem uxori ejusve heredibus, aut patri, a quo profecta eſt, reſtituendam, ut mortuâ in matrimonio filiâfamilias, pater dotem profectitiam a genero repetere poſſit, etiamſi ſuperſint liberi ex illo matrimonio ſuſcepti. *l. 6. ff. d. Jure dot.*

C V I I.

Dotem filiæ dare adeo eſt officium paternæ pietatis, ut pater non modo filiam in poteſtate conſtitutam, ſed & emancipatam. *l. ult. C. d. Dot. prom.*

C V I I I.

Non modo egenam, ſed & locupletem dotare teneatur, *arg. d. l. ult.*

C I X.

Pater dotem indefinitæ quantitatis promittens, tenetur ad ſummam & modo ſuarum facultatum, & dignitati generi ſui convenientem. *l. 60. l. 69. §. 4. ff. d. Jure dot.*

C X.

Eidem paternæ pietatis, in dotandis liberis, officio conſentaneum eſſe videtur, quod pater filiam, quæ dotem datam ſine dolo & culpâ ſuâ perdidit, iterum dotare teneatur, *arg. l. 2. ff. de Jure dot.*

dot. l. 1. *ff. Sol. matr. l. ult. C. d. Dot. promiſſ.*

C X I.

Pater non tenetur dotare filiam ſine conſenſu ſuo nubentem, *arg. princ. Inſt.* junct. §. 12. *d. Nupt. l.* 3. *ff. d. Jure dot.* Niſi pater nullas juſtas diſſentiendi, aut matrimonii prohibendi cauſas habeat, & filia *ſit matura viro*, *& jam plenis nubilis annis. l.* 19. *ff. d. Ritu nupt. Nov.* 115. *c.* 3. §. 11.

C X I I.

Si pater ob anguſtiam rei familiaris filiam dotare nequeat, dotem ex ſuis bonis conſtituere eſt officium matris. *l.* 14. *C. d. Jure dot.* Quæ ſi ſit hæretica, filiam orthodoxæ religioni addictam dotare tenetur, etiamſi maritus in re lautâ ſit poſitus. *l.* 19. §. 1. *C. d. Hæretic.* Quæ tamen Conſtitutio abrogata videtur per *Authenticam Gazaros C. eod. tit.*

C X I I I.

Ex eadem pietatis ratione, & commiſeratione receptum eſt, ne Pater, qui dotem ultra vires patrimonii promiſit, filiæ vel genero in ſolidum teneatur, ſed tantum in id, quod facere poteſt, ut ei tantum relinquatur, quantum ſufficit ad vitam honeſte tolerandam ac ſuſtentandam.

 l. 12.

l. 12. *Solut. matrim. l. pen. ff. d. Jure dot. l.* 21. *l.* 22. *ff. d. Re jud.*

C X I V.

Deficientibus parentibus, etiam fratrem oportet dotare ſororem pauperem, ſi non uterinam, at germanam certe & conſanguineam, *arg. l.* 12. *§. pen. l.* 13. *§. ult. d. Adminiſtr. tut.*

C X V.

Sed & ipſa mulier ſæpe ex bonis propriis dotem conſtituere ſolet, quâ tamen vel omnino non, vel non in totum, ob inopiam forte, ſolutâ, mulierem a marito poſſe expelli, eoque prætextu matrimonium diſſolvi, nec ratio nec Juris Civilis auctoritas permittit.

C X V I.

Imo potius, ſi mulier ſit 25. annis minor, ſeque læſam probet in dote conſtituenda, veluti ſi totum patrimonium doti dixerit, in integrum reſtitui poteſt. *l.* 9. *§.* 1. *ff. d. Minor. l. un. C. Si adverſ. dot.*

C X V I I.

Quod ſi curator mulieris 25. annis minoris, dotem conſtituere velit, etiam ex rebus immobilibus, non videtur opus eſſe decreto magiſtratus. *l.* 61. *§.* 1. *ff. d. Jure dot.*

CXVIII.

CXVIII.

In cujus *legis* principio nihil neceſſe eſt cum Rævardo pro *curator*, legere, *tutor*, eumque interpretari tutorem ſexus potius, quam curatorem ætatis.

CXIX.

Pacta dotalia de futurâ Conjugum vel aliorum ſucceſſione, a ratione Juris Civilis ſunt alieniſſima. *l.* 15. *C. d. Pact. l.* 5. *C. d. Pact. convent. l. ult. ff. d. Suis & leg. her.*

CXX.

Ut & illa, quibus convenit *ne* maritus dolum, vel *ut* dolum tantum præſtet, non culpam, in curandis & adminiſtrandis bonis dotalibus. *l.* 6. *ff. d. Pact. dot.* vel ut maritus dotem reddat die ulteriore, quam ex ratione juris, & naturâ dotis fieri neceſſe eſt. *l.* 14. 15. 16. *ff. d. Pact. dotal.*

CXXI.

Sed nec conventio de fidejuſſore a marito, in ſecuritatem reſtituendæ dotis dando, nec ipſa fidejuſſoris datio vel maritum vel fidejuſſorem obligat, nec mulieri prodeſt, aut actionem parit. *l.* 1. 2. *C. Ne fidejuſſ. dot. dent.*

H 5 CXXII.

C X X I I.

Prohibitio Legis Juliæ de fundo dotali non alienando, neque per Juſtinianum, neque per alios legiſlatores unquam extenſa eſt ad res mobiles pretioſas, & quæ ſervando ſervari poſſunt.

C X X I I I.

Ut mulieribus dotes ſartæ tectæ conſerventur, nihilque detrimenti capiant, præter alias cautiones, introducta eſt Donatio propter nuptias, quam per omnia quantitati dotis reſpondere oportet. Sic tamen ut mulier in rebus, propter nuptias a marito ſibi donatis, nec dominium, nec fructus, ſed ſolam conſequatur ſecuritatem ſpecialis hypothecæ. *l.* 29. *C. d. Jure dot. Nov.* 61. *c.* 1. *Nov.* 91. *c.* 2. *Nov.* 97. *c.* 1. 2.

LIBER XXIV.

C X X I V.

Cum quâ propter nuptias donatione minime confundenda eſt Donatio inter Virum & Uxorem, quæ adeo eſt prohibita, ut nec conjux conjugi per tertium, ſibi

ſibi donare volentem, donare poſſit, eumve delegare, ut conjugi donet. *l.* 3. §. *ult.* *l.* 4. *ff. d. Donat. int. V. & ux.*

C X X V.

Quæ tamen donatio confirmatur morte donantis, ſi is liberalitatem in conjugem collatam non revocaverit, ſed ſuâ quaſi morte obſignaverit; idque non modo ſi donatio impleta, ſed & ſi promiſſio tantum donationis cauſâ facta ſit. *l.* 32. §. 1. *l.* 33. *ff. d. Donat. int. V. & ux.*

C X X V I.

A bonis dotalibus toto cœlo differunt bona uxoris paraphernalia; inter quæ & receptitia, aut exigua aut nulla videtur eſſe differentia. *l.* 9. §. 3. *ff. d. Jure dot.* *l. pen. ff. ad L. Falcid.* Gell. 17. *Noct. Attic. c.* 6.

C X X V I I.

Quæ cum pleno jure maneant uxoris, *dd. ll.* eorum ſententia, qui invitâ, ut videtur, Jurisprudentiâ, ſtatuunt paraphernorum fructus pertinere ad maritum, non magis ſe nobis probare poteſt;

C X X V I I I.

Quam illa, quâ omnia, conſtante matrimonio, quæſita ad ſolum maritum pertinere creduntur.

CXXIX.

C X X I X.

Matrimonium ſolvitur non modo, ut ſupra dictum eſt, per mortem. v. ſupra *theſ.* 102.

C X X X.

Sed & per Divortium, quod ut Jure Civili, ob multas, etiam leviores cauſas, ita Jure Divino non niſi ob Adulterium & Malitioſam Deſertionem permiſſum eſt. *l.* 8. *C. d. Repud. Nov.* 117. *c.* 8. 9. *& ſeq. Matth. Euang.* 5. 32. 1 *Cor.* 7. 15.

C X X X I.

Facto ob adulterium divortio, conjugi innocenti, ſive uxori, ſive marito, etiam vivente conjuge adultero, vel adulterâ, fas eſt aliud matrimonium contrahere. *l.* 8. §. 4. *C. d. Repud. Nov.* 22. *c.* 15. 18. *Matth. Euang.* 5. 32. *&* 19. 9. *can. uxor* 17. *can. quædam* 19. *cauſ.* 32. *q.* 7.

C X X X I I.

Conjugi nocenti, ob adulterium dimiſſæ, vel dimiſſo non niſi poſt quinquennium a facto divortio numerandum, licet ſecundas nuptias contrahere. *Nov.* 22. *c.* 15: 18.

C X X X I I I.

Cum autem vinculum matrimonii per adulterium violati, divortio ſolvatur, res ipſa loquitur, maritum nec Divino, nec

Ci-

Civili Jure teneri ad retinendam, vel recipiendam uxorem adulteratam; licet per pœnitentiam reſipiſcentem, *arg. l.* 65. *ff. de Furt.*

LIBER XXV.

CXXXIV.

Actio rerum amotarum, licet naſcatur ex furto, (quod, ob honorem matrimonii, ut lenitate vocabuli turpitudo rei mitigaretur & tegeretur, vocatur *delictum rerum amotarum*) eſt mere rei perſecutoria. *l.* 21. §. *pen. ff. Rer. amot.*

CXXXV.

Adeoque, exemplo condictionis furtivæ, contra heredes conjugis amoventis datur in ſolidum, licet nihil ad eos pervenerit, nec lis cum defuncto ſit conteſtata. *l.* 6. §. 4. *l.* 21. §. *pen. ff. Rer. amot.* junct. *l.* 7. §. 2. *l.* 9. *ff. d. Cond. furt.*

CXXXVI.

Tam pater, quam mater tenetur alere liberos, non modo legitimos, & naturales, ſed & ſpurios, adulterinos, & ex in-

inceſtu natos. *l.* 4. *l.* 5. §. 1. 2. 8. *ff. d. Agnoſc. & al. lib. arg. Nov.* 12. *c.* 1. quâ in re nec nævum Juris Civilis, nec differentiam Juris Canonici a Jure Civili agnoſcimus. *c. cum haberet X. d. Eo qui dux. in matrim.*

C X X X V I I.

Concubinatum apud Romanos fuiſſe licitam, ac legitimam conjunctionem, ſatis conſtare videtur ex *l.* 1. *l.* 3. §. 1. *ff. d. Concub. l.* 5. *C. ad SC. Orphit. t. t. C. d. Naturalib. liber.* quod nec noviſſimis Juſtiniani Conſtitutionibus eſt abrogatum.

LIBER XXVI. & XXVII.

C X X X V I I I.

Nihil eſt, quod in definitione Tutelæ, quam Servius in *l.* 1. *ff. d. Tutelis* tradidit, & Juſtinianus probavit, merito deſiderari poſſit.

C X X X I X.

Nec minore accuratione Tutela dividitur in Teſtamentariam, Legitimam, & Dativam. Teſtamentariam quod attinet, ve-

verius eſt, patrem teſtamento, vel codicillis, teſtamento confirmatis, tutorem dare poſſe liberis, non modo heredibus inſtitutis, ſed & exheredatis. *l.* 4. *ff. d. Teſtam. tut.*

C X L.

Licet mater tutorem dare nequeat, niſi liberis heredibus inſtitutis, a magiſtratu cum inquiſitione confirmandum. *d. l.* 4. *l.* 2. *ff. d. Confirm. tut.*

C X L I.

Verba, quibus tutor teſtamento datur, ſtricte ſunt interpretanda, ſic ut tutor datus filiis & filiabus, non cenſeatur datus nepotibus & neptibus. §. *ult. Inſt. Qui teſt. tut. dar. poſſ.*

C X L I I.

Cum Tutela Legitima ex Lege XII. Tabularum deferatur proximis agnatis (& poſt *Novellam* 118. etiam cognatis) facile apparet in *l.* 1. *pr. ff. d. legit. tut.* per *conſanguineos* non modo eſſe intelligendos fratres ex eodem patre natos, ſed quoslibet proximos agnatos. V. *l.* 1. §. 10. *ff. d. Suis & legit. her. l. un. pr. C. d. Impon. lucr. deſcript. l.* 4. *ff. Unde cogn. l.* 1. *C. d. Legit. hered. l. un. pr. C. d. Rapt. virg.* Virg. 7. *Æn. v.* 366. Seneca in *Ludo de morte Claudii.* &c.

CXLIII.

CXLIII.

Unde, qui in hac interpretatione falli putat Accurſium, ipſe falli videtur *lib.* XI. *obſervat. cap.* 26. dum ſemper, & omni in loco hac voce ſignificari contendit fratres, ſororesque eodem patre prognatos.

CXLIV.

Deficiente Tutelâ Teſtamentariâ & Legitimâ, pro poteſtate ſibi tributâ poſſunt, & ex officio tutorem pupillis indefenſis dare debent magiſtratus; non tamen omnes, ſed illi, quibus hoc expreſſâ legis auctoritate conceſſum eſt; cum Tutoris datio ſit Jurisdictionis legitimæ, non ordinariæ. *l.* 6. §. 2. *ff. d. Tutel. l.* 1. §. 1. *ff. d. Tutor. & cur. dat.*

CXLV.

Tutela teſtamento non recte delata, ſed a magiſtratu confirmata, neque vere teſtamentaria, neque dativa eſt, ſed mixtam tutelæ ſpeciem conſtituit.

CXLVI.

Cum magiſtratus jurisdictionem extra ſuum territorium exercere nequeat. *l. ult. ff. d. Jurisd.* Lex & ratio volunt, non poſſe eum tutorem dare pupillo, niſi uterque, tam pupillus, *cui*, quam tutor, *qui* datur, ſit jurisdictioni dantis ſubjectus. §. 4. *Inſt. d. Attil. tut. l.* 3. *l.* 27. *ff. d. Tut. dat.*

CXLVII.

CXLVII.

Cum autem par in parem non habeat imperium. *l.* 13. §. 4. *ff. ad SC. Trebell.* conſequitur, collegam invitum a collegâ non poſſe tutorem dari.

CXLVIII.

Minores pubertatem egreſſi, adeoque qui jam in *ſuam tutelam* venerunt, inviti curatorem accipere non tenentur, ut liquido conſtat ex §. 2. *Inſt. d. Curator. l.* 13. *in f. ff. d. Tut. & cur. dat. l.* 2. §. *pen. ff. Qui pet. tut. l.* 3. *C. d. In integr. reſt. minor. l.* 7. §. 2. *ff. d. minorib. l.* 43. §. 3. *ff. d. procurat. l.* 45. §. *ult. ff. d. Re jud. l.* 1. *l.* 7. *C. Qui pet. tut.*

CXLIX.

Ne quid res pupilli aut minoris per negligentiam aut malam fidem tutoris, vel curatoris capiat detrimenti, præter ſatisdationem fidejuſſoriam, & jusjurandum, tutori & curatori incumbit neceſſitas conficiendi inventarium rerum, ad pupillos vel minores pertinentium. *l.* 7. *ff. l.* 24. *C. d. Admin. tutor.* adeo ut ne pater quidem inventarii confectionem in teſtamento remittere aut prohibere poſſit. *l.* 5. §. 7. *ff. d. Admin. tutor. l.* 119. *d. Legat.* 1.

C L.

Cum Tutela, & Cura ſint munera publica. *princ. Inſt. d. Excuſ. tut. l.* 1. §. 4. *l.* 18. §. 1. *ff. d. Mun. & hon. l.* 3. *d. Jure immunit.*

C L I.

Conſequitur Tutores & Curatores invitos cogi poſſe ad Tutelam, Curamve adminiſtrandam. *l.* 1. *pr. ff. d. Admin. tut. l.* 3. *C. d. Suſpect. tutor.*

C L I I.

Niſi per legitimam excuſationis cauſam hoc onus a ſe avertere poſſint, qualis eſt, inter alias, imperitia literarum. §. 8. *Inſt. d. Excuſ. tutor.*

C L I I I.

Et ætas ſeptuaginta annis major. §. 13. *Inſt. l.* 2. *pr. ff. eod. tit. l.* 3. *ff. d. Jure immunit. l. un. C. Qui ætat. ſe excuſ.*

C L I V.

Qui autem ſe excuſare vult, eum non a datione, ſed a cauſæ allatæ rejectione appellare oportet. §. 16. *Inſt. d. Excuſ. tut.* Diſſentit Cujacius.

C L V.

Nec per libellum ſupplicem, ſed apud tribunal, in medium proferre, quas habere ſe putat excuſationum cauſas. *l.* 25. *ff.*

ff. d. Excuſ. tut. junct. *l.* 9. §. 1. *ff. d. Offic. proc.*

C L V I.

Excuſare autem ſe poſſunt *Tutores & Curatores cujuscunque ſint generis*, inquit Imperator in *d.* §. 16. adeoque & Tutores legitimi, ut aperte liquet ex *l.* 30. §. 2. *ff. d. Excuſ. tut. l.* 3. §. 8. *ff. l.* 1. *C. d. Legit. tut. l.* 9. *C. Qui dar. tut.* Diſſentit iterum, ſed ſine lege & ratione, magnus Cujacius.

C L V I I.

Cum Tutor & Curator in adminiſtratione teneantur præſtare non modo dolum & latam, ſed & levem, non autem leviſſimam culpam. *l.* 33. *pr. ff. d. Admin. tutor. l.* 2. 4. 7. *C. Arb. tut.*

C L V I I I.

Sequitur, eos etiam ob dolum, latamque & levem culpam ſuſpectos accuſari poſſe. *l.* 3. §. *ult. ff. d. Suſp. tutor.* Sic tamen, ut non niſi ob dolum, & ex veriore ſententiâ, ob latam culpam condemnati fiant infames. §. 6. *Inſt. d. Suſp. tutor.* junct. *l.* 226. *d. Verb. ſign. l.* 1. §. 1. *ff. Si menſ. falſ. mod.*

C L I X.

Heredes Tutoris & Curatoris tenentur de dolo & latâ culpâ defuncti, licet nec

lis eum defuncto ſit conteſtata, nec quicquam ex delicto ejus ad heredem pervenerit. *l.* 7. §. 1. *ff. Depoſ. l.* 12. *l.* 49. *ff. d. Obl. & act. l.* 152. §. *ult. l.* 157. §. *ult. d. Reg. jur.* Nec eſt contrarium in *l. ult.* §. 1. *ff. d. Fidej. & nom. & her. tut.* aut in *l.* 1. *C. d. Hered. tutor.*

C L X.

Cum ita Juris ſit in actione tutelæ ex dolo, culpâque defuncti latâ, heres Tutoris vel Curatoris multo magis teneri videtur de ejusdem culpâ levi. *l.* 12. *C. Arbitr. tut. l. ult. C. d. Hered. tutor. arg. l. ult.* §. 1. *ff. d. Fidej. & nom. & hered. tutor. l.* 2. §. 2. *ff. d. Verb. obl.*

L I B E R XXVIII.

C L X I.

Verba Juſtiniani in *princ. Inſt. d. Teſtam. ordin.* quibus Teſtamentum ex eo appellatum eſſe ait, *quod teſtatio ſit mentis*, nec veram continent etymologiam, nec juſtam teſtamenti definitionem. v. Gell. 6. *Noct. Attic. c.* 12.

C L X I I.

Accuratius Modeſtinus in *l.* 1. *ff. Qui teſt.*

teſt. fac. paucis & perſpicuis verbis teſtamenti definitionem concepit, omnibus perfectionis numeris conſtantem.

CLXIII.

Teſtamenti factio haud dubie eſt Juris Gentium, utpote ratione magiſtrâ, & ſuadente utilitate, conſenſu populorum introducta, & uſu confirmata. v. §. 40. *Inſt. d. Rer. diviſ. l.* 1. *C. d. SS. Eccl. tit. Inſt. d. Leg. Fuſ. Canin. toll.* Grotius *de jure B. & P. lib.* 2. *c.* 6. §. 14.

CLXIV.

Ut autem ſæpe alias Jus Gentium & Naturale a Jure Civili formam modumque accipit. *l.* 6. *ff. d. Juſt. & jur.* ita & teſtamento complura requiſita ſunt præſcripta, quibus neglectis, teſtamentum adeo injuſtum & nullum eſt, ut ne quidem Jure Codicilli aut Fideicommiſſi valeat. *l.* 41. §. 3. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 29. *ff. Qui teſt. fac. l. ult.* §. 1. *C. d. Codicill.*

CLXV.

Sic ut heres ab inteſtato, per minus ſolennem defuncti voluntatem non impediatur, quo minus hereditatem, ſalvâ conſcientiâ, vindicare poſſit, cum nulla efficax ex ejusmodi diſpoſitione naſcatur obligatio.

C L X V I.

Quod tamen fallit in diſpoſitione parentum inter liberos, quæ, licet omnibus ſolemnitatibus deſtituta, valet, non ut voluntas inteſtati, quod volunt Ant. Faber, Fachinæus aliique, ſed Jure teſtamenti, *arg. l.* 21. §. 1. *C. d. Teſtam. Nov.* 18. *c.* 7. *Nov.* 107. *c.* 1.

C L X V I I.

Idque non modo ſi literis conſignata, ſed &, ex veriore ſententiâ, licet Antonio Fabro improbatâ, ſi verbis tantum inter liberos nuncupata ſit.

C L X V I I I.

Cum autem his temporibus aliæ atque aliæ, pro diverſitate legum municipalium, & imperantium arbitrio, in teſtamenti factione obſervari ſoleant ſolennitates, eleganter quæſitum eſt, An teſtamentum, ſecundum ſtatuta moresve alicujus regionis factum, valeat extra illam regionem, in locis, ubi aliæ vel plures requiruntur ſolennitates? Quod ut affirmemus facit æquitas, & ratio juris, etſi jure deficiamur expreſſo. V. Gaill. 2. *obſ.* 123. J. Sandii *Deciſ.* 4. *tit.* 1. *defin.* 14.

C L X I X.

Sed ut redeamus ad ſolennitates teſtamen-

mentarias Juris Romani, verius eſt, teſtes ſignare poſſe teſtamentum non modo annulo, ſed & alio ſigillo ſeu inſtrumento, characterem impreſſum habente.

C L X X.

Cum conditio teſtium inſpicienda ſit tempore teſtamenti facti. *l.* 22. §. 1. *ff. Qui teſt. fac. l.* 1. *C. d. Teſtam.* vitia poſtea ſupervenientia non magis impediunt perfectionem & effectum teſtamenti, quam tempore teſtamenti occulta & ignota, ſed poſtea detecta teſtium vitia. §. 7. *Inſt. d. Teſt. ord.*

C L X X I.

Teſtamentum tempore peſtis aut contagionis, coram paucioribus, quam ſeptem, teſtibus factum, eſt nullum.

C L X X I I.

Unicus contextus, juxta cum aliis requiſitis religioſe obſervandus, aliæque rationes non patiuntur, ut contractus in teſtamento celebrari poſſit

C L X X I I I.

Teſtamentum ad alterius interrogationem conditum, quo minus valeat Jure Civili, nulla idonea ratio a Bronckhorſtio aliisque interpretibus affertur, aut afferri poteſt.

CLXXIV.

Teſtamenti factio omnibus hominibus ſanæ mentis, qui non expreſſa legis auctoritate prohibentur, permiſſa eſt. *l.* 1. *C. d. SS. Eccl. l.* 43. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. & paſſim.* ſic ut ne quidem teſtator heredi ſuo teſtamenti factionem adimere poſſit.

CLXXV.

Præter multos alios teſtamentum facere prohibetur filiusfam., etiam ſuper peculio adventitio pleno, licet pater ei teſtamenti factionem permittat. *pr. Inſt. l.* 6. *ff. Qui teſt. fac.*

CLXXVI.

Ut & capitis damnati, non tantum veteri, ſed & novo jure. *l.* 8. §. *ult. ff. h. t. l.* 12. 17. 29. *ff. d. Pœn.*

CLXXVII.

Nemo vel duobus teſtamentis ſimul, vel pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poteſt. *l.* 19. *ff. d. Teſt. mil. l.* 29. *ad SC. Treb. l.* 7. *d. Reg. jur.*

CLXXVIII.

Unde & illud conſequitur, heredes nec ad certum tempus, nec ex certo tempore inſtitui poſſe. §. 9. *Inſt. d. Hered. inſt. l.* 88. *ff. eod. tit. l.* 41. *pr. ff. d. Teſtam. mil.*

CLXXIX.

CLXXIX.

Licet nihil obſtet, quo minus inſtitutio fieri poſſit ſub conditione. *d.* §. 9. *tit. ff. d. Condit. inſt.* & *d. Condit.* & *dem.* Sic tamen ut conditio turpis vel impoſſibilis pro non adjectâ habeatur. §. 10. *Inſt. d. Hered. inſt. l.* 14. & *ſeq. l.* 27. *d. Cond. inſtit.*

CLXXX.

Aliud Juris eſt in heredis inſtitutione factâ ſub turpi demonſtratione, cum contumeliâ heredis inſtituti conjuncta, quæ nullius eſt momenti. *l.* 9. §. 8. *ff. d. Her. inſt. l.* 54. *pr. d. Leg.* 1.

CLXXXI.

Qui ſemel pure inſtitutus, iterum ſub conditione inſtituitur, pure inſtitutus cenſetur. *l.* 27. §. 1. *ff. d. Her. inſt.*

CLXXXII.

Sui heredes, ſeu liberi, in poteſtate patris proximo gradu poſiti, neceſſario vel inſtituendi ſunt, vel nominatim exheredandi, adeo ut præteritio eorum faciat teſtamentum ipſo jure nullum, ut nec hereditas, nec legata, nec fideicommiſſa inde debeantur. *pr. Inſt. d. Exhered. lib. l.* 1. *d. Inj. rupt. l.* 30. *ff. d. Lib.* & *poſt. l.* 4. *C. d. Lib. præterit.*

CLXXXIII.

Idque non modo veteri, ſed & novo jure, nihil movente in contrarium *Authenticâ Ex cauſâ C. d. Lib. præterit.*

CLXXXIV.

Sic tamen ut præteritio matris & avi materni jure novo pro exheredatione habeatur. *§. ult. Inſt. d. Exher. liber. l. 15. C. d. Inoff. teſt.*

CLXXXV.

Ex dictis colligitur, aliisque argumentis confirmatur & hæc ſententia, quod pro præteritis habeantur etiam liberi a patre in conditione poſiti, qui non cenſentur vocati ex teſtamento, ſed illud dicere poſſunt ipſo jure nullum. *l. 1. C. d. Pact. l. 17. ff. d. Her. inſt. l. 17. §. 5. D. ad SC. Treb. l. 16. §. 1. ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l. 8. ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Diſſentiunt Hottomannus, Coraſius aliique, ſed ſine ulla probabili, ut videtur, ratione.

CLXXXVI.

Qui liberos ſimpliciter inſtituit, etiam illos inſtituiſſe videtur, quos ſe habere ignorabat, *arg. l. 28. ff. l. 3. C. d. Inoff. teſt. l. 9. C. d. Teſt. mil. l. ult. ff. d. Her. inſt.*

CLXXXVII.

Poſtumi & veteri & novo jure, vali-

di-

ditatem teſtamenti quod attinet, recte exheredari poſſunt. §. 1. 5. *Inſt. d. Exher. Lib.* junct. *arg. l.* 27. *C. d. Teſtam.*

CLXXXVIII.

Sic tamen ut poſtumi præteriti teſtamentum naſcendo rumpant, exheredati per querelam reſcindere poſſint. *l.* 30. *ff. d. Lib. & poſt. l.* 3. *C. eod. tit. l.* 3. §. 3. *ff. d. Inj. rupt.*

CLXXXIX.

Quanquam, ſi poſtumus præteritus vivo teſtatore decedat, teſtamentum, nativitate ejus ruptum, ex æquitate Prætoriâ ſuſtineatur. *l.* 12. *ff. d. Inj. rupt.*

CXC.

Ut & ſi filiusfam. jam natus præteritus ſit, & ab hereditate paternâ ſe abſtineat. Quo caſu teſtamentum ſuſtinetur, non modo ſi alii ejusdem teſtatoris liberi, ſeu fratres filii præteriti, ſed & ſi extranei inſtituti ſint. *l.* 17. *ff. d. Inj. rupt. l.* 12. §. 1. *d. Bon. poſſ. contr. tab.* ut recte contra Connanum, aliosque probat Anton. Faber.

CXCI.

Licet autem exheredatio jure novo ſit facienda cum elogio, ſeu inſertâ teſtamento juſtâ exheredationis cauſâ. *Nov.* 115. c. 3. *Auth. Non licet C. d. Liber. præterit.* verius tamen eſſe videtur, omiſſionem

nem cauſæ non facere teſtamentum ipſo jure nullum, ſed inofficioſum, ut per querelam reſcindi poſſit. *Nov.* 115. *c.* 3. §. 12. & §. *ult.* ut & *c.* 4. §. 8.

C X C I I.

Cæterum juſtæ exheredationis cauſæ omnes expreſſæ ſunt a Juſtiniano in *d. Nov.* 115. *c.* 3. Quem tamen excludere voluiſſe alias cauſas ſive æque graves, ſive graviores, ſive ejusdem, ſive diverſi generis, credibile aut veriſimile non eſt.

C X C I I I.

Jus accreſcendi inter coheredes a teſtatore cum effectu prohiberi nequit, *arg. l.* 7. *d. R. jur. l.* 55. *d. Leg.* 1.

C X C I V.

Neque plures, neque pauciores dari ſubſtitutionis ſpecies, quam *Vulgarem* & *Pupillarem*, ſententia eſt liquidiſſimi juris, nec ab ullo veterum JCtorum in dubium vocata.

C X C V.

Effectus Vulgaris Subſtitutionis eſt, quod, quamdiu locus eſſe poteſt inſtituto, ſubſtitutus non admittatur, adeoque inſtitutus & ſubſtitutus nunquam ſimul eadem hereditate potiantur. *l.* 37. *ff. d. Her. inſt. l.* 3. *l.* 69. *ff. d. Adq. hered.* Niſi

in

in ſpecie §. *ult. Inſt. d. Vulg. ſubſt.* & *l.* 40. *ff. d. Her. inſt.*

CXCVI.

Ubi cum Cujacio pro *alter ſemis*, omnino legendum videtur *AS.*

CXCVII.

Verius eſt non modo caſum primum, *Si heres non erit*, in Subſtitutione Vulgari in ſe complecti & caſum, *Si heres eſſe nolit*, &, *Si heres eſſe non poſſit.* v. *l.* 3. *C. d. Her. inſt.*

CXCVIII.

Sed & ſub expreſſo caſu, *Si nolit*, etiam contineri caſum, *Si non poſſit*, & verſa vice, *arg. l.* 3. *C. d. Inſtit.* & *ſubſt. l.* 4. *ff. d. Vulg.* & *pup. ſubſt. l.* 25. *in fin. d. Lib.* & *poſt. her. inſt. l.* 22. *ff. ad SC. Treb.*

CXCIX.

Licet in Subſtitutione Pupillari, tam tacitâ, quam expreſſa, ſola nudaque ſui heredis, quanquam ſe ab hereditatis paternæ immixtione abſtinentis, exiſtentia confirmet tabulas pupillares, ut ſubſtitutus præferatur heredibus ab inteſtato. *l.* 42. *ff. d. Adq. her. l.* 30. §. 10. *ff. d. Fideic. libert.*

CC.

In Subſtitutione tamen Vulgari verius, & legum auctoritati, præſumtæque teſtatoris

toris voluntati convenientius eſſe videtur, conditionem Subſtitutionis Vulgaris filio, ſuo heredi, a patre teſtatore factæ, non intelligi extitiſſe, adeoque nec ſubſtituto locum eſſe, niſi filius ſe a paternâ hereditate abſtineat. Sic ut ſubſtitutum non excludat, quando nudo nomine ac titulo, ſed quando re ipſâ & effectu heres factus eſt, *arg. l.* 67. *ff. d. R. N. l.* 68. *d. Legat.* 1. *l.* 12. *ff. d. Interr. in jur.*

C C I.

Ceterum, quanquam negari non poſſit filium, cui pater vulgariter ſubſtituit, etiam ipſo jure civili veteri ex neceſſario fieri voluntarium, admittendum tamen non eſt, quod communis fere Doctorum Schola contendit, per Subſtitutionem Vulgarem ſuo heredi factam, tolli omnia *ſuitatis* vel ſuorum heredum jura.

C C I I.

Cum patria poteſtas ſit cauſa Subſtitutionis Pupillaris. *l.* 2. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.* ſic ut liberi & facti teſtamenti & mortis tempore in proximo gradu patriæ poteſtatis eſſe debeant. *v. princ. Inſt. d. Pup. ſubſt. l.* 41. §. 2. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 49. §. 1. *ff. d. Her. inſt.*

C C I I I.

Res ipſa loquitur, nec patrem liberis eman-

emancipatis, nec matrem ullo modo liberis pupillariter in caſum ſecundum ſubſtituere poſſe.

C C I V.

Sed nec nepoti pupillariter ſubſtitui poteſt, quamdiu filius intermedius vivit, & in patria teſtatoris poteſtate poſitus eſt, niſi ex formula Legis Vellejæ. *l.* 2. *ff. h. t. l.* 29. §. 13. *ff. d. Lib. & poſt.*

C C V.

Liberis impuberibus exheredatis pupillariter ſubſtitui poſſe dubitandum non eſt. §. 4. *Inſt. d. Pup. ſubſt. l.* 10. §. 5. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.*

C C V I.

Ut ſub expreſſa Subſtitutione Vulgari, factâ liberis impuberibus, continetur Pupillaris, ita verſâ vice expreſſa Pupillaris tacite continet Vulgarem. *l.* 4. *pr. &* §. 2. *ff. h. t.*

C C V I I.

Ultra tempus pubertatis facta Subſtitutio Pupillaris adeo nulla eſt, ut ne quidem valeat jure fideicommiſſi. §. 8. *Inſt. d. Pupill. ſubſt. l.* 7. *l.* 14. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.*

C C V I I I.

Licet a milite ſit facta, quippe quæ non jure fideicommiſſi, ut Cujacius & Goveanus

anus volunt, ſed ut directa ſubſtitutio valet. *l.* 15. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 41. *ff. l.* 6. *C. d. Teſt. mil.*

C C I X.

Si pater ultimo ex liberis morituro ſubſtituerit, ſubſtitutus admittitur, & heredes ab inteſtato excludit, licet liberi ſimul omnes uno naufragio, ſimilive caſu fortuito pereant. *l.* 34. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.*

C C X.

Mater excluditur a ſucceſſione filii impuberis, & querelâ inofficioſi teſtamenti, non modo per expreſſam, ſed & per tacitam (ſeu in vulgari comprehenſam) Subſtitutionem pupillarem, a marito ſuo, ſeu patre impuberis factam. *l.* 8. §. 5. *ff. d. Inoff. teſt. l.* 8. *C. d. Impub. & al. ſubſt.*

C C X I.

Si filiusfam. heres inſtitutus hereditatem repudiaverit, non pater ejus, ſed qui vulgariter filiofam. ſubſtitutus eſt, admittitur, ut recte contra Diſſentientes probant Donellus & Connanus, *arg. l.* 3. *C. d. Her. inſt. l.* 8. §. *ult. ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 19. *ff. d. Cond. & demonſtr.*

LI-

LIBER XXIX.

CCXII.

Teſtamentum militare adeo eſt *privilegiatum*, ut etiam ſine ſcripturâ, coram duobus teſtibus, vel ſine teſtibus per ſcripturam factum valeat. *pr. Inſt. l.* 1. *& ſeq. ff. l.* 15. *C. d. Teſtam. mil.* ut recte contra communem Interpretum ſententiam probat Viglius ad §. 1. *Inſt. d. Teſtam. mil.*

CCXIII.

Cum aditio hereditatis ſit actus legitimus. *l.* 77. *ff. d. Reg. jur.* verior eſt Franc. Hottomanni & Cujacii contra Duarenum aliosque opinio, hereditatem per procuratorem adiri non poſſe. *l.* 123. *ff. eod. tit. arg. l.* 1. *C. Per quas perſ. cujq. acq.*

CCXIV.

Quanquam nihil obſtet, quo minus Filius juſſu patris, & Pupillus auctoritate tutoris adire poſſint hereditatem ſibi delatam.

CCXV.

Sic tamen ut juſſus patris præcedere debeat, licet tutoris auctoritas interpona-

C.L X X X I I I.

Idque non modo veteri, ſed & novo jure, nihil movente in contrarium *Authenticâ Ex cauſâ C. d. Lib. præterit.*

C L X X X I V.

Sic tamen ut præteritio matris & avi materni jure novo pro exheredatione habeatur. *§. ult. Inſt. d. Exher. liber. l.* 15. *C. d. Inoff. teſt.*

C L X X X V.

Ex dictis colligitur, aliisque argumentis confirmatur & hæc ſententia, quod pro præteritis habeantur etiam liberi a patre in conditione poſiti, qui non cenſentur vocati ex teſtamento, ſed illud dicere poſſunt ipſo jure nullum. *l.* 1. *C. d. Pact. l.* 17. *ff. d. Her. inſt. l.* 17. *§.* 5. *D. ad SC. Treb. l.* 16. *§.* 1. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 8. *ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Diſſentiunt Hottomannus, Coraſius aliique, ſed ſine ulla probabili, ut videtur, ratione.

C L X X X V I.

Qui liberos ſimpliciter inſtituit, etiam illos inſtituiſſe videtur, quos ſe habere ignorabat, *arg. l.* 28. *ff. l.* 3. *C. d. Inoff. teſt. l.* 9. *C. d. Teſt. mil. l. ult. ff. d. Her. inſt.*

C L X X X V I I.

Poſtumi & veteri & novo jure, vali-
di-

ditatem teſtamenti quod attinet, recte exheredari poſſunt. §. 1. 5. *Inſt. d. Exher. Lib.* junct. *arg. l.* 27. *C. d. Teſtam.*

CLXXXVIII.

Sic tamen ut poſtumi præteriti teſtamentum naſcendo rumpant, exheredati per querelam reſcindere poſſint. *l.* 30. *ff. d. Lib. & poſt. l.* 3. *C. eod. tit. l.* 3. §. 3. *ff. d. Inj. rupt.*

CLXXXIX.

Quanquam, ſi poſtumus præteritus vivo teſtatore decedat, teſtamentum, nativitate ejus ruptum, ex æquitate Prætoriâ ſuſtineatur. *l.* 12. *ff. d. Inj. rupt.*

CXC.

Ut & ſi filiusfam. jam natus præteritus ſit, & ab hereditate paternâ ſe abſtineat. Quo caſu teſtamentum ſuſtinetur, non modo ſi alii ejusdem teſtatoris liberi, ſeu fratres filii præteriti, ſed & ſi extranei inſtituti ſint. *l.* 17. *ff. d. Inj. rupt. l.* 12. §. 1. *d. Bon. poſſ. contr. tab.* ut recte contra Connanum, aliosque probat Anton. Faber.

CXCI.

Licet autem exheredatio jure novo ſit facienda cum elogio, ſeu inſertâ teſtamento juſtâ exheredationis cauſâ. *Nov.* 115. *c.* 3. *Auth. Non licet C. d. Liber. præterit.* verius tamen eſſe videtur, omiſſionem

nem cauſæ non facere teſtamentum ipſo jure nullum, ſed inofficioſum, ut per querelam reſcindi poſſit. *Nov.* 115. *c.* 3. §. 12. & §. *ult.* ut & *c.* 4. §. 8.

CXCII.

Cæterum juſtæ exheredationis cauſæ omnes expreſſæ ſunt a Juſtiniano in *d.* *Nov.* 115. *c.* 3. Quem tamen excludere voluiſſe alias cauſas ſive æque graves, ſive graviores, ſive ejusdem, ſive diverſi generis, credibile aut veriſimile non eſt.

CXCIII.

Jus accreſcendi inter coheredes a teſtatore cum effectu prohiberi nequit, *arg.* *l.* 7. *d. R. jur.* *l.* 55. *d. Leg.* 1.

CXCIV.

Neque plures, neque pauciores dari ſubſtitutionis ſpecies, quam *Vulgarem* & *Pupillarem*, ſententia eſt liquidiſſimi juris, nec ab ullo veterum JCtorum in dubium vocata.

CXCV.

Effectus Vulgaris Subſtitutionis eſt, quod, quamdiu locus eſſe poteſt inſtituto, ſubſtitutus non admittatur, adeoque inſtitutus & ſubſtitutus nunquam ſimul eadem hereditate potiantur. *l.* 37. *ff. d. Her. inſt.* *l.* 3. *l.* 69. *ff. d. Adq. hered.* Niſi in

in ſpecie §. *ult. Inſt. d. Vulg. ſubſt. & l.* 40. *ff. d. Her. inſt.*

CXCVI.

Ubi cum Cujacio pro *alter ſemis*, omnino legendum videtur *AS.*

CXCVII.

Verius eſt non modo caſum primum, *Si heres non erit*, in Subſtitutione Vulgari in ſe complecti & caſum, *Si heres eſſe nolit*, &, *Si heres eſſe non poſſit.* v. *l.* 3. *C. d. Her. inſt.*

CXCVIII.

Sed & ſub expreſſo caſu, *Si nolit*, etiam contineri caſum, *Si non poſſit*, & verſâ vice, *arg. l.* 3. *C. d. Inſtit. & ſubſt. l.* 4. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 25. *in fin. d. Lib. & poſt. her. inſt. l.* 22. *ff. ad SC. Treb.*

CXCIX.

Licet in Subſtitutione Pupillari, tam tacitâ, quam expreſſa, ſola nudaque ſui heredis, quanquam ſe ab hereditatis paternæ immixtione abſtinentis, exiſtentia confirmet tabulas pupillares, ut ſubſtitutus præferatur heredibus ab inteſtato. *l.* 42. *ff. d. Adq. her. l.* 30. §. 10. *ff. d. Fideic. libert.*

CC.

In Subſtitutione tamen Vulgari verius, & legum auctoritati, præſumtæque teſtatoris

toris voluntati convenientius eſſe videtur, conditionem Subſtitutionis Vulgaris filio, ſuo heredi, a patre teſtatore factæ, non intelligi extitiſſe, adeoque nec ſubſtituto locum eſſe, niſi filius ſe a paternâ hereditate abſtineat. Sic ut ſubſtitutum non excludat, quando nudo nomine ac titulo, ſed quando re ipſâ & effectu heres factus eſt, *arg. l.* 67. *ff. d. R. N. l.* 68. *d. Legat.* 1. *l.* 12. *ff. d. Interr. in jur.*

C C I.

Ceterum, quanquam negari non poſſit filium, cui pater vulgariter ſubſtituit, etiam ipſo jure civili veteri ex neceſſario fieri voluntarium, admittendum tamen non eſt, quod communis fere Doctorum Schola contendit, per Subſtitutionem Vulgarem ſuo heredi factam, tolli omnia *ſuitatis* vel ſuorum heredum jura.

C C I I.

Cum patria poteſtas ſit cauſa Subſtitutionis Pupillaris. *l.* 2. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.* ſic ut liberi & facti teſtamenti & mortis tempore in proximo gradu patriæ poteſtatis eſſe debeant. v. *princ. Inſt. d. Pup. ſubſt. l.* 41. §. 2. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 49. §. 1. *ff. d. Her. inſt.*

C C I I I.

Res ipſa loquitur, nec patrem liberis eman-

emancipatis, nec matrem ullo modo liberis pupillariter in caſum ſecundum ſubſtituere poſſe.

C C I V.

Sed nec nepoti pupillariter ſubſtitui poteſt, quamdiu filius intermedius vivit, & in patria teſtatoris poteſtate poſitus eſt, niſi ex formula Legis Vellejæ. *l.* 2. *ff. h. t. l.* 29. §. 13. *ff. d. Lib. & poſt.*

C C V.

Liberis impuberibus exheredatis pupillariter ſubſtitui poſſe dubitandum non eſt. §. 4. *Inſt. d. Pup. ſubſt. l.* 10. §. 5. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.*

C C V I.

Ut ſub expreſſa Subſtitutione Vulgari, factâ liberis impuberibus, continetur Pupillaris, ita verſâ vice expreſſa Pupillaris tacite continet Vulgarem. *l.* 4. *pr. &* §. 2. *ff. h. t.*

C C V I I.

Ultra tempus pubertatis facta Subſtitutio Pupillaris adeo nulla eſt, ut ne quidem valeat jure fideicommiſſi. §. 8. *Inſt. d. Pupill. ſubſt. l.* 7. *l.* 14. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.*

C C V I I I.

Licet a milite ſit facta, quippe quæ non jure fideicommiſſi, ut Cujacius & Goveanus

anus volunt, ſed ut directa ſubſtitutio valet. *l.* 15. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 41. *ff. l.* 6. *C. d. Teſt. mil.*

C C I X.

Si pater ultimo ex liberis morituro ſubſtituerit, ſubſtitutus admittitur, & heredes ab inteſtato excludit, licet liberi ſimul omnes uno naufragio, ſimilive caſu fortuito pereant. *l.* 34. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt.*

C C X.

Mater excluditur a ſucceſſione filii impuberis, & querelâ inofficioſi teſtamenti, non modo per expreſſam, ſed & per tacitam (ſeu in vulgari comprehenſam) Subſtitutionem pupillarem, a marito ſuo, ſeu patre impuberis factam. *l.* 8. §. 5. *ff. d. Inoff. teſt. l.* 8. *C. d. Impub. & al. ſubſt.*

C C X I.

Si filiusfam. heres inſtitutus hereditatem repudiaverit, non pater ejus, ſed qui vulgariter filiofam. ſubſtitutus eſt, admittitur, ut recte contra Diſſentientes probant Donellus & Connanus, *arg. l.* 3. *C. d. Her. inſt. l.* 8. §. *ult. ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 19. *ff. d. Cond. & demonſtr.*

LI-

LIBER XXIX.

CCXII.

Teſtamentum militare adeo eſt *privilegiatum*, ut etiam ſine ſcripturâ, coram duobus teſtibus, vel ſine teſtibus per ſcripturam factum valeat. *pr. Inſt. l.* 1. *& ſeq. ff. l.* 15. *C. d. Teſtam. mil.* ut recte contra communem Interpretum ſententiam probat Viglius ad §. 1. *Inſt. d. Teſtam. mil.*

CCXIII.

Cum aditio hereditatis ſit actus legitimus. *l.* 77. *ff. d. Reg. jur.* verior eſt Franc. Hottomanni & Cujacii contra Duarenum aliosque opinio, hereditatem per procuratorem adiri non poſſe. *l.* 123. *ff. eod. tit. arg. l.* 1. *C. Per quas perſ. cujq. acq.*

CCXIV.

Quanquam nihil obſtet, quo minus Filius juſſu patris, & Pupillus auctoritate tutoris adire poſſint hereditatem ſibi delatam.

CCXV.

Sic tamen ut juſſus patris præcedere debeat, licet tutoris auctoritas interponatur

tur perfecto negotio. *l.* 25. §. 4 *ff. d. Acq. vel omitt. hered.*

C C X V I.

Ceterum hic etiam illius tutoris ſufficit auctoritas, qui tutelam non adminiſtrat. *l.* 49. *ff. eod. tit.*

C C X V I I.

Sed & ratio docet, filiumfam., cujus pater furioſus eſt, ſine juſſu ejus hereditatem adire poſſe. Quod confirmat auctoritas Marciani in *l.* 52. *ff. eod. tit.*

C C X V I I I.

Nemo ejusdem hereditatis partem adire, partem repudiare poteſt. *l.* 1. 2. *l.* 75. *ff. eod. tit.*

C C X I X.

Effectus aditæ hereditatis eſt, quod dominium rerum hereditariarum ipſo jure transmittatur in heredes. *l.* 64. *ff. d. Furt. l.* 80. *de Leg.* 2. Quanquam poſſeſſio nec in ſuos, nec in extraneos heredes transmittatur ſine corporali apprehenſione. *l.* 23. *ff. d. Acq. poſſ. l.* 1. §. 15. *ff. Si is, qui teſtam. liber eſſe juſſ.*

C C X X.

Teſtatorem heredibus remittere poſſe neceſſitatem conficiendi inventarii verius, & rationi juris convenientius eſt.

CCXXI.

CCXXI.

Heredem, non confecto inventario, non modo Quartam Legis Falcidiæ, ſed & Trebellianicam amittere, probat affinitas ac ſimilitudo utriusque Quartæ, & *lex ult.* §. 4. 12. 14. *C. d. Jur. delib.*

CCXXII.

Sed liberos, neglecto Inventario, amittere legitimam, nec ratio patitur, nec juris noſtri auctoritas probat, licet aliter videatur Cujacio, Giphanio, & Viglio.

CCXXIII.

Juri adeundæ hereditatis non præſcribitur niſi ſpatio triginta annorum. *l.* 7. *C. d. Petit. hered. l.* 8. *C. d. Jur. delib.*

LIBER XXX, XXXI, XXXII.

CCXXIV.

Nihil eſt quod in definitione Legati, quam Juſtinianus in §. 1. *Inſt. d. Legat.* tradit, merito culpari poſſit.

CCXXV.

Legatum nec in heredis, nec in tertii alicujus arbitrium conferri poteſt. *l.* 43. §. *pen. d. Legat.* 1. *l.* 11. §. 7. *d. Legat.* 3.

CCXXVI.

Rem alienam legari poſſe dubitandum non eſt. §. 4. *Inſt. l.* 10. *C. d. Legat. l.* 39. §. 7. *d. Legat.* 1. Nec movent in contrarium Leges opponi ſolitæ.

CCXXVII.

Plus Difficultatis habere videtur illud quæſitum, Si teſtator ſimpliciter fundum, quem ſciebat ſibi cum alio eſſe communem, legaverit, utrum totus, an portio teſtatoris propria debeatur? Et portionem tantum teſtatoris propriam deberi, exiſtimo cum Zaſio, Duareno aliiſque, contra Donellum, totum deberi contendentem. Vide *l.* 67. §. 8. *d. Legat.* 2. *l.* 36. *in f. ff. d. Uſu & uſufr. leg. l.* 24. *ff. d. Inſtr. vel inſtrum. leg.*

CCXXVIII.

Nec error in nomine legatarii, aut rei legatæ, nec falſa cauſa, aut demonſtratio legatum vitiat. §. 29. 30. 31. *Inſt. d. Legat. l.* 72. §. 6. *ff. d. Cond. & dem.*

CCXXIX.

Legatum rei, cujus legatarius commercium non habet, non valet. *l.* 49. §. 2. *ff. d. Leg.* 2. junct. *l.* 34. *ff. d. V. O.*

CCXXX.

Si res mea pure mihi legetur, non conva-

valeſcit legatum, ſi eam, vivo teſtatore, alienavero. *l.* 41. §. 2. *d. Leg.* 1. §. 10. *Inſt. d. Legat.*

CCXXXI.

Si eadem quantitas in diverſis tabulis ſæpius legetur, ſæpius præſtanda eſt; ſin in uno teſtamento vel codicillo, ſemel tantum. *l.* 34. §. 1. *d. Legat.* 1. *l.* 12. *ff. d. Probat.*

CCXXXII.

Si certa quantitas vel pecunia legetur, tanquam ſpecies, vel corpus in ſpecie, veluti, *decem, quæ in arcâ ſunt*, debetur quantitas ibidem inventa; ſive ea inveniatur, quam teſtator expreſſit, ſive minor. *l.* 108. §. 10. *d. Legat.* 1. *arg. l.* 51. *eod.*

CCXXXIII.

Quanquam, ſi teſtator legaverit certam quantitatem fructuum, qui ex certo fundo ſunt naſcituri, heres teneatur ad totius quantitatis præſtationem, licet minor ſit fructuum proventus. *l.* 12. *d. Alim. vel cib. leg. l.* 27. §. *ult. d. Legat.* 3. *l.* 26. *ff. Quand. dies legat.*

CCXXXIV.

Res ab hoſtibus captas & poſſeſſas legari poſſe, verius eſt. *l.* 9. *l.* 98. *d. Legat.* 1. *l.* 104. §. 2. *eod.*

CCXXXV.

Legatum fundi, vel ſimilis rei, quæ certam ac determinatam formam & quantitatem non a rerum naturâ, ſed ab hominum arbitrio accepit, deberi videtur, ſi modo teſtator plures id genus res in patrimonio reliquerit. *l.* 71. *d. Legat.* 1.

CCXXXVI.

In quo, aliiſque ſimilibus generis legatis, electionem eſſe legatarii, non heredis, conſtat ex §. 22. *Inſt. d. Legat. l.* 37. *pr. l.* 71. *pr. d. Legat.* 1. *l.* 32. §. 1. *eod.* niſi contraria appareat voluntas teſtatoris.

CCXXXVII.

Legatum, perſonis prorſus incertis relictum, inutile eſt. §. 27. *Inſt. d. Legat.*

CCXXXVIII.

Legatum, alicui relictum, cum certam, veluti 25. annorum, ætatem expleverit, eſt conditionale, ſic ut legatarius non admittatur ad legatum, nec id ad heredes transmittatur, niſi legatarius id tempus exceſſerit. *l.* 49. *pr. d. Legat.* 1. *l.* 48. *ff. d. Condit. & demonſtr. l.* 22. *ff. Quand. dies legat.*

CCXXXIX.

Legata relicta ab inſtituto, tacite repetita cenſentur, adeoque & præſtanda ſunt

a

a ſubſtituto. *l.* 74. *d. Legat.* 1. *l.* 61. §. 1. *d. Legat.* 2. *l.* 4. *C. Ad SC. Trebell.*

C C X L.

Cui quid conjunctim legatur cum eo, qui non eſt in rerum naturâ tempore teſtamenti, neque poſtea naſcitur, ei jure novo ſolidum debetur. *l. un.* §. 2. 3. *C. d. Cad. toll.* Per quam abrogata videtur. *l.* 16. *pr. d. Legat.* 1.

C C X L I.

Jus accreſcendi locum non habet inter legatarios conjunctos verbis tantum, ut pluribus legibus & rationibus contra communem Doctorum ſententiam probant Jac. Cujacius, Goveanus, Ant. Faber, aliique, quorum ſententiæ & nos accedere non dubitamus. V. §. 8. *Inſt. d. Legat.* *l.* 1. 3. *pen. ff. de Uſufr. accreſ.* *l.* 80. *d. Legat.* 3.

C C X L I I.

Jus accreſcendi etiam locum habere videtur inter legatarios, in teſtamento militis conjunctos.

C C X L I I I.

Jus accreſcendi non tranſit in eos, qui in rem ſuccedunt, veluti qui portionem alterius coheredis vel collegatarii emtionis, aliove titulo nacti ſunt.

CCXLIV.

Teſtator jus accreſcendi inter collegatarios prohibere poteſt.

CCXLV.

Jus accreſcendi non habet locum in contractibus. *l.* 38. §. 17. *l.* 110. *ff. d. V. O.*

CCXLVI.

Augmentum & diminutio rei legatæ lucro damnove cedit legatarii, ſic ut domus areæ legatæ a teſtatore impoſita, & area domus legatæ, quæ incendio exſtincta eſt, debeatur. *l.* 8. *l.* 22. *d. Legat.* 1. *l.* 44. §. 4. *eod. l.* 39. *d Legat.* 2.

CCXLVII.

Aliud juris eſt, ſi res legata ita a teſtatore mutata ſit, ut in priſtinam formam reſolvi aut reverti nequeat, veluti ſi ex lanâ legatâ veſtis, aut ex ligno legato navis facta ſit, quo caſu legatum exſtinguitur. *l.* 88. *pr.* & §. 1. 2. *d. Legat.* 3.

CCXLVIII.

Legata & fideicommiſſa in teſtamento injuſto, ſeu minus ſolenni relicta jure naturæ debentur, *arg. l.* 38. *ff. d. Fideic. libert. l.* 2. *C. d. Fideic.*

CCXLIX.

Quanquam teſtamentum injuſtum, in quo teſtator profeſſus eſt, ſe animi potius ratio-

rationem, quam nimiam & ſcrupuloſam diligentiam ſequi velle, non habeat vim fideicommiſſi aut codicilli, niſi additâ clauſulâ codicillari, *arg. l.* 41. §. 3. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 29. *C. d. Fideic. l.* 29. *ff. Q. teſt. fac.*

C C L.

Simplex prohibitio de rebus hereditariis non alienandis, non inducit tacitum fideicommiſſum, niſi prohibitio fiat in gratiam certæ perſonæ, aut eorum, qui ex familia teſtatoris originem ducunt. *l.* 38. §. 1. 2. 3. *l.* 93. *d. Legat.* 3. *l.* 69. §. 3. *de Legat.* 2. *l.* 114. §. 14. *d. Legat.* 1. Ubi vel abundat vox *Eos*, vel forte legendum *Eorum.*

C C L I.

Fideicommiſſariæ ſubſtitutiones, & prohibitio de non alienando extra familiam, etiam poſt *Nov.* 159. *c.* 2. fieri poſſunt in infinitum, adeoque ultra quartum gradum. *l* 88. §. 15. *d. Legat.* 2. *l.* 32. §. *ult. d. l.* 69. §. 3. *ff. eod. tit.*

C C L I I.

Fideicommiſſa etiam ab inteſtato relinqui poſſunt. *l.* 3. *l.* 8. *ff. d. Jur. codicill. l.* 1. §. 6. *de Legat.* 3.

CCLIII.

Omnem differentiam vel inter antiquas legatorum ſpecies, vel inter legata & fideicommiſſa ſublatam eſſe, verum non eſt.

LIBER XXXV.

CCLIV.

Quarta Legis Falcidiæ ſingulis heredibus in portione ſibi relictâ, & legatis exhauſtâ, vel oneratâ relinquenda eſt. *pr.* & §. 1. *Inſt.* *l.* 77. *ff.* *Ad L. Falc.*

CCLV.

In Quartam Legis Falcidiæ non imputantur niſi ea, quæ heres jure hereditario, non ea, quæ titulo legati, vel fideicommiſſi, aut conditionis implendæ cauſâ accepit. *l.* 74. 76. §. 1. *l.* 91. *ff.* *Ad L. Falcid.*

CCLVI.

Deductio Quartæ ex L. Falcidiâ ceſſat in teſtamento militis, non modo veteri, ſed & novo jure. *l.* 17. *l.* 40. *l. ult.* *ff.* *l.* 7. *C.* *Ad L. Falcid.*

CCLVII.

CCLVII.

Ut & in dote, mulieri prælegatâ. *l.* 57. *l.* 81. §. 1. *ff. eod. tit. l.* 28. §. 1. *d. Legat.* 1.

CCLVIII.

Item in legatis, in pios uſus relictis. *Nov.* 131. *c.* 12.

CCLIX.

Denique ſi teſtator deductionem Quartæ expreſſe prohibuerit, ut poteſt. *Nov.* 1. *c.* 1. *Auth. ſed cum teſtator C. ad L. Falcid.*

CCLX.

Pactio autem, quâ heres, vivo teſtatore, promiſit ſe Falcidiæ beneficio non eſſe uſurum, non obſtat, quo minus Quartam jure petere poſſit. *l.* 15. §. 1. *ff. eod. tit.*

LIBER XXXVI.

CCLXI.

In Quartam SCti Trebelliani imputantur ea, quæ heres non modo hereditario, ſed & legati aliove jure aut titulo ex voluntate defuncti accepit. *l.* 22. §. 2. *Ad SC. Treb. l.* 91. *Ad L. Falcid.*

CCLXII.

C C L X I I.

Ut & fructus, quos heres fiduciarius medio tempore, ſeu pendente conditione fideicommiſſi, ex bonis, reſtitutioni fideicommiſſariæ obnoxiis, ſive ex dodrante percepit. *l.* 18. §. 1. *l.* 22. §. 2. *ff. Ad SC. Treb.*

C C L X I I I.

Liberos, hereditatem per fideicommiſſum reſtituere rogatos, non poſſe Legitimam & Quartam SCti Trebelliani ſimul deducere, verius eſt. *l.* 41. §. 3. *ff. d. Vulg. & pup. ſubſt. l.* 10. *C. Ad L. Falc. l.* 6. *C. Ad SC. Treb. l.* 24. *C. Fam. erc.*

L I B E R XXXVII.

C C L X I V.

Ex naturâ & ſcopo Collationis bonorum introductæ a Prætore, minuendæ injuriæ cauſâ, quæ fratribus, ſuis heredibus, a fratribus emancipatis, ad bonorum poſſeſſionem admiſſis, fieri videbatur, conſequitur, olim fratres emancipatos ex Edicto nihil invicem ſibi contuliſſe. V. *l.* 1. §. 5. *l.* 2. §. 5. *ff. l.* 9. *C. d. Collat. bon. l.* 1.

l. 1. §. 13. *ff. d. Conjung. cum emanc. lib. ej.* Quibus legibus non adverſatur §. 16. dictæ *legis* 1. *d. Conjung. cum emanc. lib. ej.*

CCLXV.

Cujus §. 16. verba finalia ſic cum Hottomanno videntur reſtituenda: *Quoniam hi non minus, quam patruus ex hereditate avi, non concurrente patre, ſint habituri.*

CCLXVI.

Ex eâdem Collationis æquitate, & Prætoris intentione deducitur hoc conſectarium; Fratrem emancipatum etiam tunc fratri ſuo, ſeu filio defuncti, in poteſtate retento, conferre debere, quando liberi tempore, vel repudiatione excluſi ex primo capite *unde liberi*, ex ſecundo, aut tertio capite, *unde legitimi*, aut *unde cognati*, admittuntur, *arg. l.* 1. § 2. 5. *l.* 10. *ff. d. Collat. bonor. l.* 6. §. 2. *d. Carbon. edict.*

CCLXVII.

Sed & liberi, qui ſunt in familiâ adoptivâ, fratribus ſuis naturalibus conferre tenentur, vel potius pater adoptivus, qui eos habet in poteſtate, ut reſpondet Ulp. in *l.* 1. §. 14. *ff. d. Collat. bonor.*

CCLXVIII.

Qui locus, ne & quæſtio & deciſio Ulpiani ſit inepta, ex ratione juris veteris reſtringendus eſt ad caſum, quo filius adop-

adoptivus a patre naturali, præterito alio filio, ſive ſuo, ſive emancipato, heres inſtitutus eſt. Vide *l.* 3. §. 11. *l.* 10. §. *ult.* *l.* 8. §. 11. *ff. d. Bon. poſſ. contr. tab. l.* 2. *d. Dot. collat.*

CCLXIX.

Quæſtio, an collatio bonorum inter adſcendentes, liberis ſuis ſuccedentes, locum habeat, ex ratione juris veteris fruſtra movetur, cum hoc jure nunquam duo adſcendentes ſimul ſuccedant. V. *l.* 2. *d. Caſtr. pecul. l.* 2. §. 15. *ad SC. Tertyll. l.* 10. *d. Suis & legit. her.*

CCLXX.

Jure autem novo, quo & hæc ſuccedendi ratio mutata eſt, & collationis neceſſitas ex ſolâ æqualitate æſtimari cœpit. *Nov.* 118. *Nov.* 18. *c.* 6. verius eſt collationem inter ſolos liberos introductam, ſine lege & ratione, quæ hic deficiunt, ad parentes producendam non eſſe.

CCLXXI.

Poſt Conſtitutionem Leonis in *l.* 17. *C. d. Collat. bon.* etiam tunc locus eſt collationi, cum liberi diverſo jure ſuccedunt, ſive omnes in poteſtate ſint, ſive nullus, ſive alter; veluti ſi unus ſit inſtitutus, alter exheredatus, & exheredatus teſtamentum per querelam reſcindat, ſecus ac jure veteri.

CCLXXII.

CCLXXII.

Sumptus a parente in honorem, vel ſtudia liberorum facti non ſunt oneri collationis obnoxii. *l.* 1. §. 16. *ff. l. pen. C. d. Collat. bonor. l.* 20. §. 6. *ff. Fam. erc.*

CCLXXIII.

Inter quos ſumtus videntur etiam referendi libri, quos pater vel mater filio, literis operam danti, ſuppeditavit, niſi filio, jam titulum Doctoris adepto, atque in foro verſanti, ſint dati.

CCLXXIV.

Lucrum tamen, quod ex militiâ vendibili, & propter *caſum* quodammodo *transmiſſibili*, uni heredum, ex pecuniâ defuncti, acquiſitâ, tempore mortis defuncti percipi potuit, eſt conferendum. Qui ſenſus eſt *l. pen. C. d. Collat.*

CCLXXV.

Ea, quæ filius, quamvis ex re patris, ſuo labore & induſtriâ lucratus eſt, partim reliquis heredibus conferenda, partim filio aſſignanda ſunt. v. Vinn. *d. Collationib. cap.* 14.

CCLXXVI.

Donatio ſimplex, in unum liberorum collata, regulariter non eſt fratribus aut ſororibus conferenda. *l.* 18. *C. Fam. erciſc.*

l. 39.

l. 39. §. 1. *ff. eod. tit. l. pen.* §. 1. *C. d. Collat. l.* 2. *C. d. Inoff. teſt.*

LIBER XXXVIII.

CCLXXVII.

Inter deſcendentes, quibus in ſucceſſione ab inteſtato primus debetur locus, admittuntur & liberi naturales, qui vel per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum Principis ſunt legitimati, ſive adſint liberi ante legitime nati, ſive non.

CCLXXVIII.

Cum in ſucceſſione ab inteſtato ratio habeatur omnium indiſtincte deſcendentium legitimorum, conſequitur etiam nepotem, poſt mortem avi conceptum, admitti ad avi ſucceſſionem.

CCLXXIX.

Cum autem nepotes ſuccedant ex perſonâ patris, conſequitur, nepotem non admitti ad ſucceſſionem avi, ſi pater ab hereditate defuncti abſtinuerit, *arg. l.* 6. *C. d. Legit. hered. Nov.* 118. *c.* 1. *l.* 1. §. 8. *ff. d. Suis & leg. her.*

CCLXXX.

CCLXXX.

Ut &, nepotem, repudiatâ ſucceſſione patris, non admitti ad ſucceſſionem avi. *Nov.* 118. *c.* 1.

CCLXXXI.

Tam avus, patre deficiente, quam pater, adeoque quilibet proximus adſcendentium, ſuccedit cum fratribus & ſororibus germanis defuncti. *Nov.* 118. *c.* 2. *l.* 92. *d. V. S. l.* 34. *d. Vulg. & pup. ſubſt.*

CCLXXXII.

Cum fratrum germanorum *prædefunctorum* liberi admittantur cum adſcendentibus & *thiis* ſuis jure repræſentationis. *v. Nov.* 127. *c.* 1. conſequitur, eos non ſuccedere cum adſcendentibus, ſed per eos excludi, ſi nullus defuncti frater ſuperſtes ſit, adeoque ſi non cum ſuis thiis, ſed cum ſolo adſcendente concurrant. *d. Nov.* 118. *c.* 2.

CCLXXXIII.

Unde & illud colligitur; fratrum germanorum liberos ſolos, ſine ſuis *thiis* ſuperſtites, non excludere *thios* defuncti, ſed ſimul cum illis admitti. *Nov.* 118. *c.* 3.

CCLXXXIV.

Licet jus repræſentationis in deſcendentibus locum habeat in infinitum, adeo-

que nepotes, pronepotes, &c. avo, proavo, &c. ſemper ſuccedant in ſtirpes, etiamſi non concurrant cum ſuis *thiis*. *Nov.* 118. *c.* 1. §. 6. & *ult. Inſt. d. Her. ab inteſt.* fratrum tamen liberi, ſeu nepotes ex fratre, ſi ſoli exiſtant, videntur ſuccedere in capita. *l.* 1. §. *ult. Si pars hered. pet. l.* 2. §. 2. *ff. d. Suis & legit. her.* §. 4. *Inſtit. d. Legit. agn. ſucceſſ. d. Nov.* 118. *c.* 3. *pr. verſ. ſed & ipſis &* §. *ult.* Quia jus repræſentationis in illis non attenditur, niſi quando concurrunt cum ſuis thiis, ſeu fratribus aut ſororibus defuncti.

CCLXXXV.

Sicut in ſucceſſione parentum in hereditatem liberorum, non attenditur unde defunctus bona acquiſiverit, ſed ex præſumpta voluntate defuncti omnes adſcendentes ſuccedunt in æquas partes;

CCLXXXVI.

Ita nec in ſucceſſione collaterali admitti poteſt eorum ſententia, qui, invitâ Juriſprudentiâ, contendunt, bona paterna conſanguineis, materna uterinis deberi. *Nov.* 118. *c.* 3.

CCLXXXVII.

Ut olim agnati, ſic jure novo tam cognati, quam agnati ſuccedunt in infinitum; Sic ut eorum ſucceſſio nec ad ſextum,

tum, nec ad decimum gradum reſtricta ſit. v. §. 3. *Inſt. d. Legit. agn. ſucceſſ.* §. *ult. Inſt. d. Serv. cogn. l.* 2. §. 1. *d. Suis & legit. hered.*

CCLXXXVIII.

Affinitatis autem ratione nulla ab inteſtato defertur, vel unquam delata fuit ſucceſſio. *l.* 7. *C. Commun. d. ſucceſſion.*

CCLXXXIX.

Deficientibus omnibus ſanguine junctis, ad ſucceſſionem defuncti admittitur conjux ſuperſtes. *l. un. ff. Unde vir & ux.* Quod ut jure novo confirmatum per *l.* 1. *C. eod. tit.* ita nec noviſſimo jure abrogatum eſt per *Nov.* 118.

CCXC.

Licet autem ad hanc conjugum ſucceſſionem ſufficiat matrimonium ſolo conſenſu perfectum, nec copula carnalis ullo modo ad eam ſit neceſſaria. *d. l. un. ff. d. l.* 1. *C. Unde vir & ux. l.* 15. *ff. d. Cond. & dem.*

CCXCI.

Verius tamen eſt, eam non habere locum in ſponſis.

CCXCII.

Præter hanc conjugum ſucceſſionem, cujus beneficio non niſi deficientibus conſanguineis locus eſt, jure noviſſimo in-

 tro-

troducta eſt & alia conjugalis ſucceſſio, quâ conjux ſuperſtes inops una cum liberis communibus, aut cognatis defuncti admittitur vel in quartam, vel in virilem portionem. *Nov.* 53. *c.* 6. *in f. pr.* & §. 2. *Auth. præterea C. Unde vir & ux.* Cujus ſucceſſionis beneficium æque ad Virum, mortuâ uxore, quam ad Uxorem, mortuo marito, locum habere verius eſt. Diſſentit poſt Cujacium, & Rittershuſium, Wiſſembachius per *Nov.* 117. *c.* 5.

LIBER XXXIX.

CCXCIII.

Donatio ſive inter vivos, ſive mortis cauſâ facta, non eſt contractus. *l.* 14. *ff. d. Precar. l.* 43. §. 1. *d. Admin. tutor. l.* 58. *d. Donat. int. V. & ux.*

CCXCIV.

Omnium bonorum, præſentium & futurorum, donatio valere videtur. *l.* 35. §. 4. *C. d. Donat. l.* 8. *C. d. Revoc. don. l.* 5. *C. d. Inoff. don. l.* 17. §. 1. *ff. Quæ in fraud. cred.*

CCXCV.

Modo Donatio non ſit inofficioſa. *t. t. C.*

C. d. Inoff. don. Quo tamen caſu per querelam inofficioſæ Donationis non videtur reſcindi tota Donatio, ſed pro eâ tantum parte, pro quâ eſt inofficioſa, & modum excedit, adeoque Quartam legitimam iis, quibus debetur, adimit, vel minuit. *l.* 2. *l.* 5. *l.* 7. *C. de Inoff. donat. arg. l.* 8. *C. d. Revoc. don. l.* 35. §. 4. *C. d. Donat.*

CCXCVI.

Licet Donator, ante factam traditionem, gaudeat beneficio competentiæ. *l.* 19. §. 1. *d. Re jud.* & Donatarius, etiam fraudis ignarus, creditoribus Donatoris teneatur actione Paulianâ. *l.* 6. §. 11. *l.* 17. §. 1. *ff. Quæ in fraud. cred.* non tenetur tamen Donatorem, facultatibus lapſum, alere, *arg. l.* 1. *d. Donat. l.* 35. §. 2. *d. Mort. cauſ. don. l. ult. C. d. Revoc. donat.*

CCXCVII.

Ex quâ ſententiâ ſponte ſequitur hoc confectarium, quod Donatio non poſſit revocari, licet Donator poſt factam Donationem liberos ſuſceperit, niſi in ſolo caſu *legis* 8. *C. d. Revoc. don.*

CCXCVIII.

Donatio, cui Donator, mortis mentione factâ, adjecit clauſulam, ſe nullo caſu aut modo Donationem revocaturum, non eſt Donatio mortis cauſâ, ſed Dona-

tio inter vivos. *l.* 27. *ff. d. Don. mort. cauſ. arg. l.* 13. *in fin. l.* 35. §. 2. 4. *ff. eod. tit.*

C C X C I X.

Donationem mortis cauſâ, non ſolâ defuncti declaratione, ſed per conventionem ſive ſolam, ſive cum traditione conjunctam, non poſſe fieri in teſtamento, verius eſt, *arg. l.* 21. §. *ult. ff. Qui teſt. fac. l.* 28. *C. d. Teſtam.*

L I B E R XLI.

C C C.

Modi acquirendi Dominii vel ſunt omnium Gentium communes, vel Populi Romani proprii, & legibus civilibus recepti ac comprobati.

C C C I.

Modi autem acquirendi juris Gentium, neque plures dantur, neque pauciores, quam Apprehenſio, & Acceſſio.

C C C I I.

Apprehenſio eſt vel Occupatio rei a domino datæ, vel Occupatio rerum nullius. Quæ præcipue locum habet in capturâ ferarum, quæ in primævâ rerum communione

munione relictæ, jure Romano, tanquam operæ & induſtriæ præmium, cedunt primo occupanti. §. 12. *Inſt. h. t.*

CCCIII.

Modo vere fuerint apprehenſæ & in poteſtatem venantis redactæ: Corporalis enim apprehenſio ad has, aliasque id genus res nullius acquirendas, omnino eſt neceſſaria. §. 13. *Inſt. d. Rer. div.* & *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 1. *ff. d. Acq. poſſ.*

CCCIV.

Nec refert nobilis an plebejus, in ſuo an in alieno fundo, prohibente an permittente domino, ceperit: cum prohibitio domini, venatorem a finibus agri ſui arcentis, nec naturam animalis mutare, nec jus venanti quæſitum auferre poſſit. v. *d.* §. 12. *l.* 13. §. *ult. ff. d. Injur.*

CCCV.

Regula de acquirendo per Occupationem dominio etiam locum habet in rebus in bello ex hoſtibus captis, quæ indiſtincte, ſive mobiles ſint, ſive immobiles, cedunt Principi ſive Reipublicæ, cujus ſumtibus & auſpiciis bellum geritur, non utique ſingulis militibus capientibus, utpote qui, tanquam procuratores, pro ſtipendio Principi operam locaverunt & addixerunt. *l.* 1. §. 1. *d. Acq. poſſ. l.* 5. §. *ult.* *d.*

d. A. R. D. l. 20. §. 1. *ff. d. Captiv. & poſtl. l. pen. ad L. Jul. pecul.* Gell. 13. *c.* 24. Quo ſenſu intelligendus §. 17. *Inſt. h. t.*

CCCVI.

Atque hoc ita, niſi res mobiles ex hoſtibus capiantur extra actum belli publicum & imperatum, veluti in liberis excurſionibus, ut & niſi res hoſtiles, exorto bello, apud nos deprehendantur non tam *facto* eorum, quam *fato*. *l.* 51. §. 1. *ff. d. A. R. D. l.* 12. *pr. d. Captiv.* ubi legendum videtur *ſuo fato*, pro, *ſuo facto*. Quæ Grotii conjectura confirmatur per *l.* 2. *ff. d. Cond. & demonſtr. l.* 11. §. 4. *ff. d. Minorib.* Tacit. *d. Orat. c.* 17.

CCCVII.

Ad occupationem etiam commode referri poteſt Specificatio ex re alienâ, ad cujus effectum, ſcilicet dominii per eam acquirendi, nec bona fides, nec juſtus titulus requiritur. §. 25. junct. §. 26. *Inſt. d. Rer. diviſ. l.* 7. §. 7. *l.* 26. *ff. d. A. R. D. l.* 9. §. 3. *Ad exhib.*

CCCVIII.

Ut & inventio Theſauri, qui a domino in fundo ſuo, ſive profano, ſive ſacro, ſive religioſo, inventus totus cedit inventori. §. 39. *Inſt. d. Rer. diviſ.* Quod, conſtitutione Divi Adriani introductum, a Divis

Fra-

Fratribus abrogatum non eſt, ſic ut *lex* 3. §. *ult. ff. d. Jure fiſci* non adverſetur dicto §. 39.

C C C I X.

Cum autem Theſaurus in loco alieno, datâ operâ, quæſitus & inventus in ſolidum cedat domino loci. *d.* §. 39. *l. un. C. d. Theſ.* verius videtur, contra communem fere DD. ſententiam, theſaurum illicitis, veluti magicis artibus, in alieno fundo, domino ignorante vel invito, repertum, nec pro parte, nec ex aſſe Fiſco addicendum eſſe, ſed in ſolidum domino fundi deberi, *arg. d.* §. 39. *d. l. un. l.* 131. *d. V. S. l.* 155. *d. R. J. l.* 10. *d. J. fiſc. l. ult. d. Litig. l.* 1. *C. d. Naufr.*

C C C X.

Tantum, pro ratione inſtituti, de occupatione rerum nullius. De Traditione quæſitum eſt, An ad transferendum per eam dominium requiratur inductio in vacuam poſſeſſionem? Quod negandum videtur *arg. l.* 16. *ff. d. Fund. dot. l.* 10. §. 2. junct. *l.* 1. *ff. d. Cond. furt. l.* 2. §. 1. *ff. d. Act. empt.* junct. *l.* 1. §. *ult. Quæ in fraud. cred.* Diſſ. Vinnius aliique, ſed ſine lege & ratione.

C C C X I.

Nec minus nobilis controverſia eſt, An diſſenſus in cauſis tradendi & accipien-

di impediat translationem dominii, veluti ſi tradas mihi pecuniam animo donandi, ego tanquam creditam ex mutuo accipiam? Quod recte negat Ulpianus, licet repetenti ac condicenti tibi obſtet exceptio doli mali. *l.* 18. *ff. de Reb. cred.* Ubi negari non poteſt diſſentire Ulpianum a Juliano in *l.* 36. *ff. d. A. R. D.* ſic ut his locis conciliandis fruſtra operam dent Interpretes.

C C C X I I.

De Acceſſione, controverſæ quidem, ſed veriores eſſe videntur ſententiæ, quæ ſequuntur: (1) Alveus, a flumine derelictus, non priſtinis dominis, eorumve heredibus, nec Fiſco, ſed proximis poſſeſſoribus cedit. §. 23. *Inſt. d. Rer. divis.*

C C C X I I I.

(2) Si pars agri vicini, vi fluminis, meo agro appulſa, cum eo coaluerit, mea fit, nec vicino ulla actio, ne quidem ad pretium conſequendum, competit. §. 21. *Inſt. d. Rer. diviſ.*

C C C X I V.

(3) Fructuum ex alieno fundo perceptio non eſt modus acquirendi ſpecialis, & ab aliis diſtinctus, ſed pertinet ad acceſſionem.

C C C X V.

(4) Bonæ fidei poſſeſſor fructus tam natu-

naturales, quam induſtriales percipiendo & conſumendo, pleno & irrevocabili jure, ſuos facit. §. 35. *Inſt. d. Rer. divis.* *l.* 48. *ff. d. A. R. D. l.* 78. *d. R. V. l.* 13. *ff. Quib. mod. uſusfr. vel uſ. am. l.* 136. *d. R. J.*

CCCXVI.

(5) Idque indiſtincte, ſive inde factus ſit locupletior, ſive non. *dd. ll. l.* 4. §. 2. *ff. Fin. reg.*

CCCXVII.

(6) Bonæ fidei poſſeſſor, ad recuperandas impenſas, in rem alienam factas, nullam actionem, ſed ſolam doli mali exceptionem habet, ſi ſit in poſſeſſione. *l.* 33. *ff. d. Cond. indeb.*

CCCXVIII.

Poſſeſſio non modo eſt detentio rei, animo ſibi habendi, ut recte definiri ſolet, verum etiam jus poſſidendi, a corporali detentione diverſum. *l.* 44. *ff. l.* 10. *C. d. Acq. poſſ. l.* 24. *ff. eod. l.* 3. §. 38. *ff. Ne quid in loc. publ.*

CCCXIX.

Unde poſſeſſio recte dicitur non tantum facti eſſe, ſed & juris. *l.* 1. §. 3. 4. *l.* 49. *l.* 10. *C. d. Acq. poſſ.*

CCCXX.

CCCXX.

Quod jus cum nullâ ratione referri poſſit ad obligationem, ſeu jus ad rem, ex veriore ſententiâ eſt *jus in re*, ejusque non contemnendos effectus habet. *l.* 3. §. 12. *ff. Ad exhib. l.* 12. *C. d. Judic. l. un. C. d. Alien. jud. mut. cauſ. l.* 2. *Uti poſſid.* §. 4. *Inſt. d. Interd. l.* 136. *d. Reg. jur.*

CCCXXI.

Unde conſequitur, judicia poſſeſſoria, ex jure poſſeſſionis nata, non eſſe actiones in perſonam, ſed in rem. §. 1. *Inſt. d. Action.*

CCCXXII.

Nam quod Ulpianus in *l.* 1. §. *pen. ff. d. Interd.* ait: *Interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipſâ perſonalia ſunt*, non de actionibus, ut plerique Interpretes volunt, ſed de conceptis Interdictorum formulis, & decretis, ſuper poſſeſſione datis, accipiendum eſt, quatenus Interdicta, licet *imperſonaliter* concepta, veluti, *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*, neque nocent, neque proſunt aliis, quam illis in quorum cauſâ data ſunt. Eodem fere ſenſu, quo hæc locutio uſurpatur in §. 6. *Inſt. d. Jur. nat. l.* 7. §. 8. *d. Pact. l.* 10. *d. Nov. op. nunc.*

CCCXXIII.

CCCXXIII.

Actiones autem Interdictorum, quæ non ex jure poſſeſſionis, ſed ex delicto, veluti violenter occupatæ poſſeſſionis, competunt, eſſe perſonales, adeoque non dari contra tertium poſſeſſorem, res ipſa loquitur, eoque ſenſu accipienda videtur *l.* 7. *ff. d. Vi & vi arm.*

CCCXXIV.

Cum poſſeſſio non adquiratur niſi animo & corpore ſimul. *l.* 3. §. 1. *d. Adq. poſſ.* duo autem pluresve ſimul eandem rem, vel ſtando, vel ſedendo, corpore occupare nequeant, ut JCtus in *d. l.* 3. §. 5. junct. *l.* 1. §. 3. *eod.* & multo magis ipſa ratio probat;

CCCXXV.

Conſequitur, eandem rem a pluribus in ſolidum corporaliter poſſideri non posſe. *d l.* 3. §. 5. *l.* 5. §. *ult. Commod. l.* 19. *ff. d. Precar.* neque ab hac ſententia vel Pomponium, vel Trebatium, vel ullum veterum JCtorum diſſenſiſſe.

CCCXXVI.

Ex eodem principio deducitur & hoc conſectarium; Quod poſſeſſio non tranſeat ipſo jure & rectâ viâ in heredes, aliosve ſucceſſores, ſed quod ab illis debeat corporaliter apprehendi. *l.* 23. *pr. ff. d.*

d. Adq. poſſ. l. 1. §. 15. *ff. Si is q. teſt. lib.*

CCCXXVII.

Sed cum, præter corporalem rei apprehenſionem, requiratur & animus poſſidendi, nec furioſus, nec pupillus infans, ſine tutoris auctoritate, poſſeſſionem acquirere poteſt. *l.* 1. §. 3. *l.* 32. §. 1. *d. Adq. poſſ.*

CCCXXVIII.

Nec per procuratorem domino acquiritur poſſeſſio, niſi volenti. *l.* 53. *ff. d. A. R. D.*

CCCXXIX.

Naturaliter tantum poſſidet creditor rem, pignori vel hypothecæ devinctam. *l.* 35. §. 1. *d. Pign. act. l.* 37. *d. A. R. D. l.* 1. §. 15. *d. Adq. poſſ.*

CCCXXX.

Et mulier rem ſibi, conſtante matrimonio, a marito donatam. *l.* 1. §. 4. *l.* 16. *ff. d. Adq. poſſ. l.* 1. §. 9. 10. *d. Vi & viarm.*

CCCXXXI.

Poſſeſſio, ſemel acquiſita, etiam ſolo animo retinetur, quamdiu vel vacua manet poſſeſſio, vel poſſeſſor ſaltem illam ab alio occupatam eſſe ignorat. *l.* 46. *d. Adq. poſſ.*

CCCXXXII.

CCCXXXII.

Amittitur poſſeſſio iisdem modis, quibus acquiritur, id eſt, animo & corpore ſimul. *l.* 8. 44. 46. *d. Adq. poſſ. l.* 153. *d. R. jur.* Quod tamen non eſt perpetuum. *l.* 17. §. 1. *ff. d. Adq. poſſ.*

CCCXXXIII.

Uſucapio recte definitur in *l.* 3. *ff. d. Uſuc.*

CCCXXXIV.

Hæc, ſi fiat ſecundum regulas & præcepta Juris Romani, neque auctoritati Juris Divini, neque æquitati Juris Naturalis eſt contraria. v. *l.* 1. *d. Uſuc. l. pen. Pro ſuo. l.* 28. *d. V. S.* Quod non modo ſine ratione, ſed contra rationem omnem negant Ameſius aliique.

CCCXXXV.

Recte tamen dicitur modus acquirendi Juris Civilis proprius. §. *ult. Inſt. d. Uſu & habit.*

CCCXXXVI.

Unde ſolis Civibus Romanis permiſſa, peregrinis autem, & ad peregrinitatem redactis negata eſt. Quod vel ſola evincunt verba L. XII. Tabularum: *Adverſus hoſtem æterna auctoritas eſto.* Ubi per *hoſtem* procul omni dubio intelligendus *peregrinus.* Cic. 1. *Offic. c.* 12. Feſtus *in voce*

Hoſtis.

Hoſtis. Varro *libr.* 4. *pr. d. Ling. Lat.* Per *auctoritatem* vero *proprietas & dominium.* Cic. 1. *Offic. d. c.* 12. Gell. 17. *Noct. Attic. c.* 7. *l. ult. ff. d. Pign. act. l. ult. d. Evict. l. ult. d. Aq. & aquæ pl. arc. act.*

CCCXXXVII.

Ad Uſucapionem, præter bonam fidem, poſſeſſionem, & tempus legibus definitum, requiritur juſtus titulus, qualis tamen non eſt ſolus nudusque titulus *pro herede. l.* 4. *C. d. Præſcr. long. temp. l. ult. C. d. Uſuc. pro her. l.* 11. *ff. d. Diverſ. & temp. præſcr. l.* 11. *C. d. Acq. poſſ.* Licet aliter videatur tantum non omnibus Interpretibus.

CCCXXXVIII.

Uſucapi poſſunt non modo res corporales (quæ non ſingulari ratione excipiuntur) ſed & ſervitutes, tam perſonales, quam prædiales. *l.* 13. *C. d. Servit. & aq. l. ult. C. d. Præſcr. long. temp.*

CCCXXXIX.

Quæ ſervitutum Uſucapio cum ex conſtitutione Juſtiniani in *d. l. ult. C. d. Long. temp. præſcr.* inſtituenda ſit ad exemplum uſucapionis in rebus immobilibus, verius eſſe videtur, ad Uſucapionem ſervitutum deſiderari & bonam fidem, & juſtum titulum;

CCCXL.

CCCXL.

Non autem ſcientiam domini, in cujus fundo ſervitus uſucapitur. *d. l. ult. in f.*

CCCXLI.

Uſucapi prohibentur res furtivæ & vi poſſeſſæ, non modo a furibus & prædonibus, ſed & ab aliis ſive bonæ, ſive malæ fidei poſſeſſoribus. §. 2. *Inſt. d. Uſuc.* Niſi vitium purgetur; quod fit, cum res legitimo modo in poteſtatem domini reverſa eſt. §. 3. *Inſt. eod.* Niſi debitor creditori pignus ſuum vi vel furto abſtulerit: tum enim vitium non purgatur, niſi re in poteſtatem creditoris reverſâ. *l. ult. ff. d. Uſuc.* v. & *l. 6. C. d. Uſuc. pro emt.* Cui non eſt contraria *lex* 4. §. 21. *ff. d. Uſuc.*

CCCXLII.

Præterea uſucapi nequeunt res pupillorum. *l.* 48 *pr. ff. d. A. R. D. l.* 3. *C. Quib. non obj. long. temp. præſcr. l. ult. C. In quib. cauſ. in int. reſt.*

CCCXLIII.

Nec res Eccleſiaſticæ præſcribuntur niſi ſpatio quadraginta annorum. *N.* 111. *N.* 131. *c.* 6.

CCCXLIV.

Nec res Civitatum, niſi ſpatio centum annorum. *l.* 23. *C. d. SS. Eccl.*

CCCXLV.

In *lege* 43. *ff. d. Uſuc.* pro, *continuatione vero non impedietur heredis ſcientia*, ſine ullo dubio legendum eſt, *continuatio vero non impedietur heredis ſcientia.* v. §. 7. *Inſt. eod. l.* 2. §. 19. *Pro emt.*

CCCXLVI.

Uſurpatio, quæ eſt uſucapionis interruptio, *l.* 2. *d. Uſuc.* Gell. 3. *c.* 2. fit vel civiliter, non modo per litis conteſtationem, ſed & per libelli oblationem, & in Jus vocationem. *l.* 10. *C. d. Adq. poſſ. l. pen. & ult. C. d. Ann. exc. l.* 7. *C. d. Præſcr.* 30. *ann.*

CCCXLVII.

Vel naturaliter, per dejectionem ex poſſeſſione. *l.* 5. *d. Uſuc.* Ubi verba *adverſus eum* ſignificant idem quod *pro eo*, veluti in *Fragm. Ulp. tit.* 20. §. 14. *& tit.* 28. §. 1. ut recte tradunt Accurſius, Duarenus, & Cujacius.

LIBER XLII.

CCCXLVIII.

Sententia recte dividitur in Interlocutoriam & Definitivam. *l.* 7. *l.* 9. *& t. t. C. d. Sentent. & interloc.*

CCCXLIX.

CCCXLIX.

Differunt enim & ratione formæ modique, quo proferuntur, & ratione effectus, quatenus a Definitivâ permiſſa, ab interlocutoriâ prohibita eſt appellatio.

CCCL.

Ut & quatenus Judex Sententiam Interlocutoriam, non autem Definitivam, mutare & reſcindere poteſt. *l.* 14. *l.* 42. *l.* 45. §. 1. *l.* 62. *ff. d. Re jud. l.* 27. *ff. d. Pœn. l.* 1. *C. Quand. provoc. l.* 9. *C. d. Sentent. & interloc. t. C. Sent. reſcind. non poſſe.* Ratio eſt in *l.* 55. *ff. d. Re jud.*

CCCLI.

Adeo ut Sententia Definitiva, ne quidem ob inſtrumenta, poſtea reperta, reſcindi poſſit. *l.* 4. *C. d. Re jud. l.* 19. *C. d. Transact.*

CCCLII.

Sententia autem tam Interlocutoria, quam Definitiva ex falſis inſtrumentis lata, ope reſtitutionis in integrum, reſcinditur. *l.* 32. *ff. d. Re jud. l.* 1. 2. *C. Si ex falſ. inſtr. l.* 75. *ff. d. Judic.*

CCCLIII.

Ut ſententia vim & effectum ſortiatur, debet continere certæ rei aut quantitatis condemnationem, vel abſolutionem. §. 32. *Inſt. d. act. l.* 21. §. 3. *ff. d. Recept. arb.*

 l. un.

l. un. C. d. Sentent. q. pro eo, *quod intereſt*, *profer.*

CCCLIV.

Sic tamen, ut ſufficiat de quantitate rei conſtare vel ex ipſâ partium conventione. Nam ſi convenerit inter litigatores, quid pronuncietur, non eſſe ab officio judicis alienum, ut hujusmodi ſententiam proferat, auctor eſt Ulpianus in *l.* 26. *ff. d. Re Jud.* & in *l.* 3. §. 1. *l.* 21. *ff. Commun. divid.*

CCCLV.

Unde conſequitur, ſententiam hac, aliâve id genus vagâ & dubiâ formulâ conceptam, *condemno reum in rem petitam*, *ſi probatum eſt eum debere*; non magis valere, quam illam Claudii Imperatoris; *ſe ſecundum illos ſentire*, *qui vera propoſuiſſent*. (Sueton. in *Claud. c.* 15.) *l.* 1. *d. Re jud. l. ult. Cod. d. Sent. q. ſin. cert. quant. l.* 19. §. 1. *l.* 21. §. 3. *ff. d. Recept. arb.*

CCCLVI.

Effectus ſententiæ eſt, quod pro veritate habeatur, & jus faciat inter partes litigantes, non inter alios. *l.* 25. *d. Stat. hom. l.* 63. *ff. d. Re jud. t. Cod. Res int. al. act.*

CCCLVII.

Judicatis & condemnatis comparantur confeſſi in Jure. *Confeſſus* enim, inquit Pau-

Paulus, *pro judicato eſt, qui quodammodo ſuâ ſententiâ damnatur. l. 1. ff. d. Confeſſ. l. 56. ff. d. Re jud. l. 29. §. 1. d. Don.*

CCCLVIII.

Vis & effectus condemnationis ac confeſſionis in Jure minuitur & reſtringitur per Beneficium *Competentiæ*, quod vocant; ſic ut debitor non teneatur ultra id, quod facere poteſt. Quod beneficium etiam acquiritur per *ceſſionem bonorum*, quæ non irrogat infamiam cedenti. *l. 11. C. Ex quib. cauſ. infam. l. ult. C. Qui bon. ced. poſſ.*

CCCLIX.

Nec renunciatione debitoris in contractu factâ amittitur, *arg. l. 6. C. d. Pact. l. 1. & ult. C. qui bon. ced. l. 9. §. ult. ff. ad L. Jul. pecul.* junct. *l. 2. ff. d. Lib. hom. exhib.*

CCCLX.

Idem beneficium datur ſociis, tam ſingularibus, quam univerſalibus. *l. 63. ff. Pro ſoc.* Cui non eſt contraria *l. 16. ff. d. Re jud.*

CCCLXI.

Ut & marito contra uxorem, & verſâ vice, non modo in dote promiſſâ petendâ, & datâ repetendâ, ſed & in aliis contractibus. *l. 17. l. 20. ff. d. Re jud.* ut & ſocero mariti in cauſâ dotis. *l. 21. eod.*

C C C L X I I.

Ne ſententia ſit eluſoria, ad vim poteſtatemque ejus ſartam tectam tuendam, adverſus contumaces & refractarios adhibetur Executio. Cujus ordinem, in lege 15. §. 2. *ff. d. Re jud.* præſcriptum, judex, poſtulante licet creditore, mutare, vel invertere non poteſt. Diſſ. Duarenus, aliique.

C C C L X I I I.

Ad executionem pertinet Miſſio in bonorum poſſeſſionem, quam non in partem bonorum, ſed in omnia debitoris bona faciendam eſſe, verius eſt. *l.* 2. & 7. *ff. Quib. ex cauſ. in bon. poſſ. l.* 19. *ff. d. In jus voc. l.* 5. §. 5. *ff. Ut in poſſ. legat. l.* 1. *C. d. Præt. pign.* Cui ſententiæ non obſtat vel *Novella* 53. *c.* 4. §. 1. vel *l.* 1. *ff. Quib. ex cauſ. in bon. poſſ.* in quâ expungendam particulam *In*, ut ſpuriam & a manu imperiti librarii injectam, & pro *tuetur* legendum eſſe *timetur*, res ipſa loquitur.

C C C L X I V.

Dominium rerum debitarum, & per ſententiam adjudicatarum non acquiritur ſine traditione rei condemnati, ſeu addictione, a magiſtratu factâ, & apprehenſione partis victricis, *arg.* §. 40. *Inſt. d. R. D.* junct. *l.* 20. *C. d. Pact.*

CCCLXV.

CCCLXV.

Exceptis ſolis, ut videtur, petitione hereditatis. *l.* 29. §. 1. *ff. d. Statu lib.* & judiciis diviſoriis, familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum. Quo ſenſu intelligendi Ulpianus in *Fragment. tit.* 19. §. 16. & Juſtinianus in §. *ult. Inſt. d. Off. jud.*

CCCLXVI.

Bona in fraudem executionis, aut creditorum alienata revocantur actione Pauliana. Quam eſſe actionem in perſonam, non in rem, liquido conſtat ex §. 6. *Inſt. d. Act. l.* 10. *pr.* §. 2. §. 16. *ff. Quæ in fraud. cred.* junct. *l.* 25. *ff. d. Obl. & act. arg. l.* 1. §. 26. *ff. Si quid in fraud. patr. l.* 38. §. 4. *ff. d. Uſur.* Diſſent. Cujacius & Fabrottus.

LIBER XLIII.

CCCLXVII.

Omnia Interdicta competunt de verâ aut quaſi poſſeſſione vel adipiſcendâ, vel retinendâ, vel recuperandâ. *pr. &* §. 2. *Inſt. d. Interd. l.* 3. *C. eod. l.* 13. *C. de R. V.*

CCCLXVIII.

Retinendæ poſſeſſionis ſunt Interdicta *Uti poſſidetis*, & *Utrubi*, quæ, ut pote, ſolis veris poſſeſſoribus competentia, non dantur nudis detentoribus, ut colonis, iisve, qui cuſtodiæ cauſâ in poſſeſſionem ſunt miſſi. *l.* 3. §. 8. *Uti poſſ. l.* 1. §. 9. 10. *d. Vi arm.*

CCCLXIX.

Si in Interdicto *Uti poſſidetis* pares ſint utriusque litigantis probationes, judicis officium eſt, vel neutri adjudicare & addicere poſſeſſionem, *arg. l.* 10. *d. Reb. dub.* vel, mediâ viâ electâ & diviſione factâ, utrique partem poſſeſſionis adſignare, *arg.* §. *ult. Inſt. d. Vulg. ſubſt. l.* 41. *ff. d. Hered. inſt.*

CCCLXX.

In Interdicto *Uti poſſidetis* verius eſt, reum condemnatum non modo teneri ad reſtituenda bona ablata cum fructibus & acceſſionibus, & ut deſiſtat a turbatione alienæ poſſeſſionis, ſed & ut datis fidejuſſoribus caveat, ſe in poſterum non eſſe turbaturum, *arg. l. un. C. Uti poſſ. l.* 7. *l.* 12. *ff. Si ſerv. vind. l. pen. d. Aq. quotid. & æſt.*

CCCLXXI.

Datur hoc Interdictum non modo ad res cor-

corporales immobiles, quod certi juris eſt, ſed etiam utiliter, ad res incorporales, ut ſervitutes. *l.* 8. §. 5. *ff. Si ſerv. vind. l. ult. ff. d. Servit. l. ult. ff. Quemadm. ſerv. am. l. ult. ff. Uti poſſid.* Quod ſine ratione negant alii.

CCCLXXII.

Hoc Interdictum non datur heredibus, niſi poſſeſſionem apprehenderint, *arg. l.* 1. §. 6. *l.* 2. *l. ult. Uti poſſid.* junct. *l.* 13. *d. Acq. poſſ.*

CCCLXXIII.

Interdictum *Unde vi* datur ad recuperandam poſſeſſionem cuilibet poſſeſſori, etiam prædoni, qui ab ipſo rei domino, a quo vi, clam vel precario poſſidebat, ſpoliatus & e poſſeſſione dejectus eſt. §. 6. *Inſt. d. Interd. l.* 12. *l.* 18. *ff. d. Vi arm.*

CCCLXXIV.

Cum autem colonus nullo modo poſſideat, non datur ei contra dejicientem interdictum *Unde vi. l.* 1. §. 10. *d. Vi arm.* excepto caſu legis 12. *&* 18. *eod.*

CCCLXXV.

Sed nec ei, qui animo & corpore ſimul, vel ſolo corpore adhuc poſſidet, competere poteſt: quia eſt recuperandæ poſſeſſionis. *d.* §. 6. *Inſt. d. Interd.* Sed ei, qui corpore dejectus, qualecunque jus

 poſſi-

poſſidendi animo retinet, atque ita *poſſidet.* Quo ſenſu intellectus Ulpianus *l.* 1. §. 45. *ff. d. Vi arm.* nulla forte indigeret emendatione, vel Hottomanni, & Donelli, qui legunt *NON poſſidet*, vel Grotii & Baudii, qui legendum cenſent, *posſedit.* V. *d. l.* 1. §. 23. 34. *d. Vi arm.* Quanquam in emendatione Baudii nihil ſit, quod merito reprehendi poſſit.

CCCLXXVI.

Pœna alienæ poſſeſſionis violenter occupatæ, traditâ in *l.* 7. *C. Und. vi*, tenentur etiam mulieres, minores, & ruſtici.

CCCLXXVII.

Qui homines armatos ad ſe venientes videns in fugam ſe conjicit, metu violentiæ perculſus, vi dejectus cenſetur, & Interdicto *Unde vi* experiri poteſt. *l.* 33. §. 2. *d. Uſucap.*

CCCLXXVIII.

Utile Interdictum Salvianum dari cuilibet creditori, ad poſſeſſionem rerum cujuſcunque debitoris pignori obligatarum adipiſcendam, verius eſt. *l.* 1. *C. d. Precar. & Salv. interd.*

LI-

LIBER XLIV.

CCCLXXIX.

Exceptiones perpetuæ & peremptoriæ jure novo poſſunt opponi poſt litem conteſtatam, modo initio litis conteſtentur. *l.* 9. *C. d. Præſcr. long. temp. l.* 8. *l.* 9. *C. d. Except. l.* 2. *C. Sent. reſc. non poſſ.*

CCCLXXX.

Non autem poſt ſententiam. *l.* 4. *l.* 8. *C. d. Except. l.* 2. *C. Sent. reſc. non poſſ.*

CCCLXXXI.

Exceptiones dilatoriæ non niſi ante litem conteſtatam opponi poſſunt, licet poſt eam recte probentur. *l.* 13. *C. d. Procur. l.* 19. *C. d. probat.*

CCCLXXXII.

Cauſæ omnium actionum ſunt *Jus in re* & *Jus ad rem*, ſive Obligatio.

CCCLXXXIII.

Quæ recte & ex arte juris dividitur in Naturalem, Civilem, & Mixtam.

CCCLXXXIV.

Naturalis, pro diverſo effectu, quem auctoritas Juris Civilis ei nunc tribuit, nunc

nunc negat, recte dividitur in Efficacem, & Inefficacem.

CCCLXXXV.

Ad Inefficacem pertinent obligationes ad ἀντίδωρα ſeu remunerationes, & grati animi officia, ad integra legata ſolvenda, obligatio mulieris contra SCtum Velleja-num pro alio intercedentis, & quæ naſcitur ex teſtamento minus ſolenni.

CCCLXXXVI.

Obligatio naturalis efficax, (qualis eſt obligatio ex nudo pacto, obligatio ſervorum, obligatio ex contractu inter patremf. & ejus filiumf. vel duos fratres in ejusdem patris poteſtate conſtitutos nata) tum alios non contemnendos, tum hunc habet effectum, quod impediat condictionem indebiti ſoluti. *l.* 7. §. 4. *d. Pact.* *l.* 13. *l.* 26. §. 12. *d. Cond. ind.*

CCCLXXXVII.

Quodque debitum ex eâ natum in compenſationem deduci poſſit. *l.* 6. *ff. de Compenſat.*

CCCLXXXVIII.

Licet non pariat actionem. *d. l.* 7. §. 4. *d. Pact.*

CCCLXXXIX.

Juſtinianea actionis definitio in *pr. Inſt. d. Act.* adeo omnibus numeris perfecta & ab-

abſoluta eſt, ut nodum in ſcirpo quærant, qui eam carpunt.

CCCXC.

Summa actionum diviſio eſt, quod ſint vel in rem, vel in perſonam, vel mixtæ. §. 1. junct. §. 20. *Inſt. d. Action.* Dari enim actiones mixtas, tam in rem, quam in perſonam, ortas tam ex jure in re, quam ex jure ad rem, verius eſſe videtur. *d.* §. 20. *l.* 22. §. 4. *Fam. erc. l.* 1. *Fin. reg. l.* 7. *C. d. Pet. her. l.* 4. §. 3. *ff. Comm. divid.*

CCCXCI.

Dantur autem actiones id genus mixtæ, nec plures nec pauciores, quam familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, & petitio hereditatis. *dd. ll.* & §. 3. 4. *Inſt. d. Obl. ex quaſi contr. l.* 3. *l.* 4. *Comm. div.*

CCCXCII.

Actio in rem & in perſonam non eſt definienda ab objecto, ut vult Weſembecius; nec à ſubjecto, ut Donellus aliique contendunt; ſed a cauſâ proximâ, unde originem ducit, id eſt, vel ab obligatione, vel a jure in re. §. 1. *Inſt. d. Act. l.* 42. §. 2. *d. Procur. l.* 2. *pr. Mand. l.* 1. *d. R. V.*

CCCXCIII.

Unde conſequitur, nullas proprie eſſe actiones *Dativas*, quas vocant, ſed omnes

nes naſci vel ex obligatione, vel ex jure in re, vel ex utroque.

CCCXCIV.

Variæ cauſarum figuræ, quarum meminit Cajus in *l.* 1. *d. Obl. & A.* non conſtituunt diverſam cauſam producendi actionem, ſed haud dubie referendæ ſunt ad omnem obligationem, quæ nec ex contractu, nec ex delicto, ſed ex lege, vel æquitate naſcitur.

CCCXCV.

Ex dictis conſequitur (1) Actionem Paulianam eſſe in perſonam. *l.* 38. §. 4. *ff. d. Uſur. l.* 1. §. 26. *ff. ſi quid in fraud. patron. l.* 10. §. 16. *ff. Quæ in fraud. cred.* junct. *l.* 25. §. 1. *d. O. & A.*

CCCXCVI.

(2) Actionem Publicianam non eſſe in perſonam, ſed in rem. *l.* 1. *d. Publ. in rem act.* §. 4. *Inſt. d. Action.*

CCCXCVII.

(3) Actiones extraordinarias Interdictorum omnes in univerſum, nec in rem eſſe, nec in perſonam, ſed pro diverſâ cauſâ, cui originem ſuam debent, vel in rem, vel in perſonam.

CCCXCVIII.

Duo extrema actionis in rem requiſita, do-

dominium, vel aliud jus in re a parte actoris, poſſeſſio autem, ſeu detentio a parte rei, non præciſe deſiderantur tempore litis conteſtatæ, ſed ea etiam poſt litis conteſtationem, ante ſententiam ſupervenire ſufficit. *l.* 27. §. 1. *d. R. V. arg. l.* 17. *Mand. l.* 56. *d. Judic. l.* 9. §. *ult. d. Pign. act. l.* 11. *Qui ſat. cog.*

CCCXCIX.

Actio in perſonam *tantum* in loco domicilii, vel contractæ obligationis; actio autem in rem *etiam* in loco rei ſitæ inſtitui poteſt. *l. pen. d. Juriſd. l. un. C. Ubi de poſſ. l.* 2. 3. *C. Ubi in rem act. exerc. deb.*

CCCC.

Actiones rei perſecutoriæ non modo ex contractibus, ſed & quandoque ex delictis naſcuntur, ut condictio furtiva, & actio rerum amotarum. *l.* 5. *l.* 7. & paſſim *d. Cond. furt. l.* 21. §. *pen. & ult. l.* 6. §. 4. *d. Act. rer. amot.*

CCCCI.

Dantur actiones rei perſecutoriæ ex contractu vel quaſi contractu, quæ ob delictum concurrens fiunt pœnales, ſaltem ex parte rei. v. *l.* 7. §. *ult. d. Tribut. act. l.* 9. §. 1. *Quod falſ. tut. l.* 3. §. 5. *Si menſ. falſ. mod. l.* 49. *ff. d. Obl. & act.*

CCCCII.

CCCCII.

Actio de vi & vi armata non eſt rei perſecutoria, ſed pœnalis. *l.* 1. §. 43. §. *ult. l.* 2. *l.* 3. *pr.* & §. 12. *d. vi & vi arm.*

CCCCIII.

Actiones pœnales recte dividuntur, quod dentur vel in ſimplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. §. 21. & *ſeqq. Inſt. d. Act.*

CCCCIV.

Uti autem dantur actiones pœnales in ſimplum, ſic dantur quædam rei perſecutoriæ in duplum, triplum vel quadruplum. *l.* 37. *l.* 56. *ff. l.* 25. *C. d. Evictîon.*

CCCCV.

Diviſio actionum & contractuum bonæ fidei ac ſtricti juris non modo auctoritate juris certiſſima & receptiſſima, ſed nec æquitati aut bonis moribus contraria eſt, ut ſine ratione eam e foris ſcholisque Reip. Chriſtianæ eliminatam velint Ameſius Theologus, & Imbertus JCtus.

CCCCVI.

Quaſi vero bona fides, ſeu virtus dolo malo contraria, ex ratione juris non ſit obſervanda in contractibus & actionibus ſtricti juris, quo nihil eſſet abſurdius, & a mente conditorum juris alienius. v. *l.* 59. §. 1. *ff. Mand. l.* 4. *C. d. O. & A.* Unde

actio

actio & exceptio doli mali æque in ſtricti juris, quam in bonæ fidei judiciis locum habet. *l.* 36. *ff. d. V. O. l.* 1. *ff. d. Dol. exc.*

CCCCVII.

Et ex bono & æquo competere dicuntur actiones, quæ non ſunt, nec eſſe poſſunt bonæ fidei. v. *l.* 66. *d. Cond. ind. l.* 11. §. 1. *ff. d. Injur. l.* 10. *d. Sep. viol.*

CCCCVIII.

Quia tamen negotia bonæ fidei mutuas obligationes continent, iisque, ut Cicero ait, vitæ ſocietas continetur, bona fides in iis *maxime* exigitur. *l.* 5. *C. d. Reſc. vend.* & ex ipſo contrahentium conſenſu pleniore officio eſt præſtanda, poteſtatemque liberiorem habet judex, etiam extra verba contrahentium, & formulam præſcriptam, æſtimandi ex æquo & bono quantum, & quo modo alterum alteri dare, facere vel præſtare oporteat. §. 28. 31. *Inſt. d. Act. l.* 7. *ff. d. Negot. geſt.* Secus ac in judiciis ſtricti juris, ubi judex magis adſtrictus eſt verbis contractus & formulæ, a quâ vel latum unguem diſcrepare nefas eſt. *dd. ll. l.* 99. *d. V. O.* Cic. *pro Roſc. Com. c.* 4. in *Topic. c.* 17. *lib.* 3. *d. Offic. c.* 17. Senec. *d. Benef. lib.* 3. *c.* 7. *d. Clement. lib.* 2. *c.* 17.

CCCCIX.

Hinc (1) dolus dans cauſam contractui bonæ fidei facit eum ipſo jure nullum. *l*. 7. *ff. d. Dol. mal. l.* 16. §. 1. *ff. d. Minor.* In contractibus ſtricti juris facit locum actioni vel exceptioni doli. *l.* 36. *d. V. O. t. t. ff. d. Dol. exc.*

CCCCX.

(2) Uſuræ in bonæ fidei judiciis debentur non modo ex ſtipulatu, ſed & ex pacto nudo, & morâ. *l.* 3. *l.* 32. §. 2. *ff. d. Uſur.* In ſtricti juris contractibus ex ſtipulatu tantum. *l.* 24. *ff. Præſcr. verb. l.* 3. *C. d. Uſur.* non ex pacto, nec ex morâ, ne quidem poſt litem conteſtatam. *dd. ll.*

CCCCXI.

(3) Cum res deperdita vel corrupta officio judicis, per jusjurandum in litem actoris venit æſtimanda, in bonæ fidei judiciis, quanti res fuerit plurimi, ſpectatur tempus rei judicatæ, in ſtricti juris judiciis litis conteſtatæ. *l.* 3. §. 2. *ff. Commod.*

CCCCXII.

(4) In contractibus bonæ fidei is, qui ultra dimidium, etiam ſine fraude adverſarii, læſus eſt, habet remedium *legis* 2. *C. de Reſcind. vend.* ſecus ac in judiciis ſtricti juris.

CCCCXIII.

(5) Pacta in continenti adjecta contractibus bonæ fidei, illis inſunt, formantque actionem exinde competentem, ſecus ac in negotiis ſtricti juris. *l.* 7. §. 5. *ff. d. Pact.*

CCCCXIV.

Omnes actiones ex contractibus, ſolo conſenſu conſtantibus, ſunt bonæ fidei, adeoque etiam actio emphyteuticaria. §. 3. *Inſt. d. Loc. cond.* junct. §. 28. *Inſt. d. Act.*

CCCCXV.

Omnis actio ex contractu innominato eſt ſtricti juris, exceptâ æſtimatoriâ, & quæ ex permutatione competit. *d.* §. 28.

CCCCXVI.

Omnis actio ex quaſi contractu eſt ſtricti juris (exceptis illis, quæ nominatim recenſentur in *d.* §. 28.) adeoque & condictio indebiti. *l.* 1. *C. d. Cond. indeb.*

CCCCXVII.

Omnis actio in rem eſt arbitraria, nulla ſtricti juris, vel bonæ fidei, exceptâ petitione hereditatis. *d.* §. 28. *l. ult. C. d. Pet. her.* Quia eſt ſimul in perſonam. *l.* 7. *C. eod. l.* 25. §. 18. *ff. eod. tit.*

CCCCXVIII.

Nulla actio ex delicto, vel quaſi delicto

eſt ſtricti juris, aut bonæ fidei, adeoque nec actio injuriarum, nec ſepulchri violati.

CCCCXIX.

Sub actionibus directis in *d.* §. 28. enumeratis, non modo continentur quæ adjectitiis qualitatibus differunt, ſed & contrariæ, quod tamen negat Fr. Hottomannus. Atque hæc de actionibus bonæ fidei & ſtricti juris, quantum quidem ad jus controverſum attinet, dicta ſufficiant; plura ex jure certo addere ratio inſtituti non ſinit.

CCCCXX.

Actiones arbitrariæ, quæ recte deſcribuntur in §. 31. *Inſt. d. Action.* conſtituunt tertium genus actionum, ſic ut nec ſub bonæ fidei, nec ſub ſtricti juris actionibus comprehendi poſſint.

CCCCXXI.

Hæ recte dividuntur in arbitrarias *ſuâ naturâ*, & *ex incidenti*, quales ſunt quæ ſuâ naturâ ſunt ſtricti juris, ſed ob adjectionem loci, non temporis, fiunt arbitrariæ. *d.* §. 31. *l.* 1. & *ſeq. ff. d. Eo, quod cert. loc.*

CCCCXXII.

Suâ naturâ arbitrariæ ſunt omnes actiones in rem, ſive Civiles, ſive Prætoriæ.

CCCCXXIII.

Et quædam in perſonam, ut actio doli.

l. 18.

l. 18. *pr. d. Dol. mal.* metus. *l.* 14. §. 1. 3. *Quod met.* ad exhibendum. §. 3. *Inſt. d. Off. jud. l.* 3. §. 2. *Ad exhib.*

CCCCXXIV.

Ut &, ex veriore ſententiâ, actio Redhibitoria ex Ædilitio Edicto, *arg. l.* 45. *d. Ædil. ed.*

CCCCXXV.

Et actio finium regundorum. *l.* 1. junct. *l.* 4. §. 3. *Fin. regund.* §. 6. *Inſt. d. Off. jud.*

CCCCXXVI.

Huc etiam recte Tribonianus in *d.* §. 31. refert actionem noxalem, hoc nomine ſine ratione a multis reprehenſus.

CCCCXXVII.

Licet autem præcipua actionum arbitrariarum, ab actionibus bonæ fidei & ſtricti juris differentia conſiſtat in conceptione formularum, quæ judici Pedaneo a Prætore præſcribebantur; formulæ autem & verborum conceptiones a Conſtantino M. ſint ſublatæ. *l.* 1. *& ſeqq. C. d. Formul. & impetr. ſubl.* non eſt tamen erroneæ illorum ſententiæ accedendum, qui jure novo nullam has inter actiones ſupereſſe differentiam, invitâ & Romanâ & Hodiernâ Jurisprudentiâ, ſtatuunt.

CCCCXXVIII.

Omnium autem actionum vis & potes-

tas hæc eſt, ut ſolidum, quod nobis abeſt a patrimonio, pleno effectu perſequantur. *pr. Inſt. l.* 25. *ff. h. t. l.* 1. *C. Qui bon. ced.* niſi vel natura quarundam actionum, ut de peculio, de in rem verſo, &c. vel compenſatio, vel beneficium competentiæ ſit impedimento. Quod beneficium, ut alios, quorum jus hac in parte extra omnem controverſiæ aleam eſt poſitum, taceam, datum eſt Donatori. *l.* 19. §. 1. *l.* 49. 50. *d. Re jud. l.* 28. *d. Reg. jur.*

CCCCXXIX.

Et ſociis, tam ſingularis alicujus rei vel negotiationis, quam univerſorum bonorum. *l.* 63. *pro ſoc.* cui non eſt contraria *l.* 16. *d. Re jud.* ut quidam volunt.

CCCCXXX.

Et ſocero, ad dotem promiſſam ſolvendam, vel acceptam reſtituendam, a genero vel nuru in jus vocato. *l.* 15. §. *ult. l.* 16. *l.* 17. *Sol. matr.*

CCCCXXXI.

Actionum *directarum* & *adjectitiarum* diviſio nec juris auctoritate, nec uſu deſtituitur. *l.* 19. *d. In rem verſ. t. t. Inſt. Quod cum eo, q. in al. pot.* Verum tamen in omnibus non eſt, quod, ut regula generalis, traditur, actiones adjectitias ſemper imitari

tari naturam & effectum actionum directarum, quibus adjiciuntur.

CCCCXXXII.

Cum omnis cauſa poſſeſſionis jure civili ſit ſummaria. *l. un. C. Si de moment. cauſ. fuer. app. l.* 8. *C. Und. vi. l.* 3. *C. d. Interd. l.* 13. *C. d. R. V.* Actio poſſeſſoria male dividitur in Ordinariam & Summariam.

CCCCXXXIII.

In actionibus popularibus pœna pertinet ad actorem, non ad fiſcum. *l.* 12. *d. V. S. l.* 7. *d. Juriſd. l.* 3. *d. Sep. viol.* junct. *l.* 10. *d. J. fiſc.*

CCCCXXXIV.

Omnes actiones civiles ſunt perpetuæ, adeoque & condictio ex lege 30. *C. d. Inoff. teſt.* ad petendum ſupplementum Legitimæ.

CCCCXXXV.

Et actio injuriæ atrocis ex lege Corneliâ; quia hæ nusquam excipiuntur a regulâ.

CCCCXXXVI.

Omnes actiones rei perſecutoriæ, ſive ex contractu, ſive ex delicto competentes, dantur contra heredes in ſolidum, adeoque & condictio furtiva, & actio rerum amotarum. §. 1. *Inſt. d. Perp. & temp.*

temp. act. l. 7. l. 9. d. Cond. furt. l. 6. §. 4. l. 21. §. pen. d. Act. rer. amot.

CCCCXXXVII.

Unde conſequitur, actiones rei perſecutorias ex contractu contra heredes in ſolidum dari, licet de dolo defuncti agatur, & nihil ad heredes pervenerit. *d. §. 1. l. 12. 49. d. O. & A. l. 7. §. 1. Depoſ.*

CCCCXXXVIII.

Plurium actionum in eodem libello cumulatio jure civili prohibita eſt. *l. 76. §. 8. d. Legat. 2. l. 16. 18. ff. d. Except. & præſcript. l. 6. ff. d. Except. rei jud.*

CCCCXXXIX.

Unde conſequitur, nec judicium Poſſeſſorium cumulari poſſe cum Petitorio, veluti rei vindicatione. *dd. ll. l. 24. d. R. V. l. pen. C. d. Interd.*

CCCCXL.

A Cumulatione actionum toto cœlo differt actionum concurſus, etiam ille, quem Interpretes docendi cauſâ vocant Cumulativum.

CCCCXLI.

Quia autem bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. *l. 57. d. Reg. jur. l. 51. in f. d. Re jud.* ipſa ratio docet, quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei

no-

nomine, non niſi unâ experiundum eſſe; eâque electâ, reliquas exſtingui & evaneſcere. V. *l.* 43. §. 1. *d. Reg. jur. l.* 18. *l.* 34. §. *ult. d. Obl. & act. l.* 14. §. *pen. d. Exc. rei jud. l.* 9. §. 1. *d. Tribut. act.*

CCCCXLII.

Verſâ vice, ſi plurium actionum concurrentium alia rem, alia pœnam; vel alia plus, alia minus perſequatur; omnes cum effectu inſtitui poſſunt, quatenus non petitur ſæpius eadem vel res, ve pœna. *dd. ll. l.* 28. *d. Act. emt. l.* 7. §. 1. *d. Cond. furt. l.* 1. *d. Vi bon. rapt. l.* 1. *l. pen. ff. arb. furt. cæſ.* §. *ult. Inſt. d. Obl. ex del.*

CCCCXLIII.

Vis & effectus Ceſſionis actionum non eſt ut vel dominium rerum, ad quas perſequendas actio ceſſa competit, vel ipſa actio directa a cedente transmittatur in *ceſſionarium*, ſeu procuratorem in rem ſuam; ſed ut *ceſſionarius* conſequatur facultatem, actionem directam nomine cedentis, utilem autem ſuo nomine inſtituendi. *l.* 7. 8. *C. d. Her. vel act. vend. l.* 1. *C. d. Obl. & A. l.* 16. *ff. d. pact. l.* 55. *ff. l.* 9. *C. d. procur.*

CCCCXLIV.

Anaſtaſii & Juſtiniani conſtitutio effectum Ceſſionis actionum, Emtionis alio-

ve oneroſo titulo factæ, hactenus circumſcripſit & limitavit, ut is, cui actio ceſſa fuit, non plus per eam conſequatur, quam pro eâ dedit. *l.* 22. *l.* 23. *C. mand.* ſic ut ſuperfluum non creditori cedenti, ut vult communis fere DD. Schola, nec Fiſco, ut alii contendunt, ſed debitori, contra quem actio ceſſa eſt, ſit addicendum. *d. l.* 23. §. 1. *arg. l.* 10. *ff. d. J. fiſci.* junct. *l.* 47. *ff. d. O. & A. l.* 125. *d. Reg. jur. l. ult. ff. de Litig. Nov.* 72. *c.* 5.

LIBER XLV.

CCCCXLV.

Stipulationem eſſe verum contractum, contra quam Goeddæus & paucii alii volunt, non magis eſt dubitandum;

CCCCXLVI.

Quam eſſe contractum Juris Civilis, & populi Romani proprium. V. §. *ult Inſt. d. Obligat. l.* 1. §. 1. 7. *d. O. & act. l.* 9. §. 3. *d. Reb. cred. l.* 1. 2. *d. Novat. l.* 34. *d. Reg. jur.*

CCCCXLVII.

Unde conſequitur ſtipulationem, ut alios contractus, ſuâ vi & naturâ, etiam ſine

ſine ullâ præcedente debiti cauſâ, valere, & producere obligationem ad agendum efficacem, ſic ut exceptione cauſæ deficientis elidi nequeat, *arg.* §. *ult. Inſt. Per quas perſ. cuiq. acq. oblig. l.* 7. §. 12. *ff. d. Pact. l.* 2. §. *ult. d. Reb. cred. l.* 17. *& ſeq. d. Evict. l.* 21. *l.* 108. *d. V. obl. l.* 6. *C. Si cert. pet.* Diſſ. Cujacius, Connanus, Goveanus aliique plures.

CCCCXLVIII.

Diverſitas reſponſionis in quantitate non vitiat ſtipulationem, ſecus ac diverſitas in qualitate, & formâ. *l.* 1. §. 3. *l.* 83. *l.* 109. *d. V. O.*

CCCCXLIX.

Stipulatio inutilis ne quidem habet vim pacti, adeoque nec naturalem producit obligationem. *l.* 1. §. 2. *d. V. O.*

CCCCL.

Stipulatio imperſonaliter concepta valet tam a parte promiſſoris, quam ſtipulatoris. *l.* 1. §. 2. *d. V. O. arg.* §. 5. *Inſt. d. Inutil. ſtipul.*

CCCCLI.

Nec domino ex contractu procuratoris, ſine ceſſione. *l.* 49. §. *ult. ff. d. Acq. poſſ. l.* 8. §. *ult. ff. Mand.*

CCCCLII.

CCCCLII.

Nec ex ſtipulatione, alteri factâ, ulla naſcitur actio, niſi ſtipulantis interſit. §. 4. 18. *Inſt. l.* 3. *l. ult. C. d. Inut. ſtipul. l.* 38. §. 17. *d. V. obl.*

CCCCLIII.

Qui promiſit ſe curaturum, ut alius quid det aut faciat, non liberatur præſtando omnem diligentiam, ſed, ſi effectus non ſequatur, tenetur ad id, quod intereſt. *l. ult. ff. d. Reb. cred. l.* 26. *C. de Fidejuſſ.*

CCCCLIV.

Sicut & promiſſor in obligationibus facti *proprii* non tenetur præciſe ad factum, ſed præſtando id, quod intereſt, liberatur. *l.* 13. §. *ult. ff. d. Re jud.* §. *ult. Inſt. l.* 72. *l.* 81. *pr.* & §. 1. *l.* 112. §. 1. *ff. d. V. obl.*

CCCCLV.

In æſtimando autem eo, quod intereſt, tum his, tum aliis in caſibus, non damni tantum, ſed & lucri ratio habenda eſt. *l.* 13. *l.* 18. *Rat. rem hab. l.* 2. *in f. ff. d. Eo, quod cert. loc. l.* 22. & *ſeq. Ad L. Aquil.*

CCCCLVI.

Ita tamen, ut in æſtimatione ejus, quod intereſt, actori non indiſtincte & ſine exceptio-

ceptione adjudicandum ſit id omne, quod conſequi potuit, neque conſecutus eſt. v. *l. un. C. d. Sent. quæ pro eo, quod intereſt profer. l.* 21. §. 3. *ff. d. Action. emt. l.* 29. §. 3. *Ad L. Aquil.*

CCCCLVII.

Duobus pluribusve reis credendi ita res ſingulis debetur in ſolidum, ut unus alterius actionem & jus petendi perimere poſſit, non modo debitum exigendo, vel acceptum ferendo, ſed & jurisjurandi delatione, & novatione. *pr. I. l.* 2. *in f. ff. d. Duob. reis ſtipul. l.* 27. *l.* 28. *ff. d. Jurejur. l.* 31. §. 1. *d. Novat.* cui non adverſatur *l.* 27. *pr. ff. d. Pact.*

CCCCLVIII.

Sed & ſi unus ſolidum debitum exegerit, non tenetur id cum ſuo correo communicare, aut partem ei præſtare. *l.* 62. *pr. ff. Ad L. Falcid.* niſi correi ſint ſocii. *l.* 2. *C. d. Duob. reis.*

CCCCLIX.

Duo pluresve rei debendi ita ſinguli tenentur in ſolidum, ut ne quidem jure noviſſimo gaudeant beneficio diviſionis, niſi vel ſocii ſint, vel pecunia in communem utilitatem ſit verſa. *d. l.* 2. *C. d. Duob. reis.* vel pro ſe invicem mutuo fidejuſſerint vel interceſſerint; qui ſenſus

eſt

eſt *Nov.* 99. *c.* 1. quâ derogatur *legi* 11. *ff. d. Duob. reis.*

CCCCLX.

Legi 28. § *ult. ff. d. Stipul. ſerv.* non eſt contraria *lex* 16. *ff. eod. tit.*

LIBER XLVI.

CCCCLXI.

Fidejuſſor omni, etiam naturali, obligationi accedere poteſt. §. 1. *Inſt. l.* 1. *l.* 16. §. 3. *ff. d. Fidejuſſ. l.* 2. *l.* 25. *eod. tit.*

CCCCLXII.

Ut & obligationibus ex delicto natis. *l.* 8. §. 5. *l.* 56. *ff. de Fidejuſſ.*

CCCCLXIII.

Cum obligatio fidejuſſoris firmandæ obligationi principali accedat, res ipſa loquitur, fidejuſſorem non teneri in majorem ſummam, quam reus principalis debet; ita tamen, ut ſi ſe in majorem ſummam obligaverit, teneatur in ſummam concurrentem, quam reus principalis debet. *l.* 1. § 4. *l.* 83. §. 3. *l.* 109. *ff. d. V. obl. l.* 11. §. 1. *ff. d. Conſt. pecun. l.* 33. *ff. Mand.*

CCCCLXIV.

CCCCLXIV.

Obligatio fidejuſſoris non augetur ob moram rei ita, ut ad uſuras ſimilesque acceſſiones, aut pœnas teneatur. *l.* 8. *ff. d. Eo, quod cert. loc. l. ult. ff. l.* 10. *C. d. Fidej. l.* 173. §. 2. *d. Reg. jur.*

CCCCLXV.

Exceptiones rei cohærentes, quæ debitori competunt, etiam fidejuſſori conceduntur. *l.* 32. 60. *ff. d. Fidej. l.* 19. *ff. l.* 11. *C. d. Except. l.* 7. *ff. eod.* §. *ult. Inſt. d. Replic.*

CCCCLXVI.

Unde conſequitur, exceptiones præſcriptiones rei judicatæ, jurisjurandi, pacti de non petendo, fidejuſſori quoque competere. *d. l.* 7. §. 1. *d. Except. l.* 32. *ff. d. Fidej. l.* 7. *& ſeq. d. Jurej. l.* 17. §. 5. *& ſeqq. l.* 21. §. *ult. l. ult. ff. d. Pact.*

CCCCLXVII.

Fidejuſſores, licet ipſo jure ſinguli teneantur in ſolidum. §. 4. *Inſt. l.* 3. *C. d. Fidejuſſ.* habent tamen Beneficium, ſeu Exceptionem diviſionis, quam non modo ante, ſed & poſt litem conteſtatam, adeoque quandocunque ante ſententiam opponi poſſe, verius eſt. *l.* 10. §. 1. *C. d. Fidejuſſ.*

CCCCLXVIII.

CCCCLXVIII.

Ut & Exceptionem Cedendarum actionum, quæ ita eſt opponenda, ut ceſſio fiat vel ante ſolutionem, vel in ipſo actu ſolutionis, vel ut ſolutio fiat cum pacto de ceſſione faciendâ. *l.* 36. *ff. l.* 11. *C. d. Fidej. l.* 76. *ff. d. Solut.*

CCCCLXIX.

Et Exceptionem Ordinis, ſeu Excuſſionis; cui non videtur renunciatum, licet fidejuſſor in ſolidum, vel ut debitorem principalem ſe obligaverit. *l.* 3. *C. d. Fidej. l.* 4. §. 4. *Si quis caution. in jud. fact.*

CCCCLXX.

Fidejuſſor ad certum tempus obligatus, elapſo tempore definito, ſine novo conſenſu, vel repetito cum debitore contractu, non obligatur in futurum. *l.* 27. *C. d. Fidej. l.* 25. §. *ult. ff. d. Rec. arb. l.* 7. *C. Locat. cond.*

CCCCLXXI.

Quanquam prorogatione termini ſolutionis non liberetur fidejuſſor, ſive ſimpliciter, ſine adjectione temporis, ſive ad certum duntaxat tempus fidem ſuam interpoſuerit. Quam liberationem nec ratio juris admittit, nec ulla lex probat.

CCCCLXXII.

Quam ſententiam confirmat hæc, licet

&

& ipſa in controverſiam vocata, regula juris: Quod Fidejuſſor ſemel datus, creditore invito, non liberetur, niſi per ſolutionem obligationis principalis; ſic ut creditor nec alium fidejuſſorem, licet æque idoneum, nec pignus pro fidejuſſore admittere cogatur. *l.* 45. §. 2. *ff. Mand. l.* 5. §. 2. *Quib. mod. hyp. ſolv.*

CCCCLXXIII.

Cum Novatio nunquam facta intelligatur, niſi de animo novandi liquido conſtet. *l. ult. C. d. Novat.* conſequitur, ſtipulationem pœnæ pecuniariæ, contractibus adjectam, non inducere novationem obligationis principalis, adeoque creditorem vel id quod intereſt, vel pœnam petere poſſe. *l.* 115. §. *ult. l.* 122. §. 2. *ff. d. V. O. l.* 10. §. 1. *ff. d. Pact.*

CCCCLXXIV.

Quanquam per ſtipulationem conditionalem inducatur novatio obligationis puræ. *l.* 36. *ff. d. Reb. cred.*

CCCCLXXV.

Creditori invito aliud pro alio ſolvi non poſſe conſtat ex *l.* 2. §. 1. *ff. d. Reb. cred.* aliisque.

CCCCLXXVI.

Æque certum eſſe videtur, debitorem

creditori invito ante tempus ſolvere poſſe. *l.* 38. §. 16. *l.* 137. §. 2. *d. V. O. l.* 70. *d. Solut.* Diſſ. Cujac.

LIBER XLVII.

CCCCLXXVII.

Nudi conſilii, vel nudæ cogitationis nulla J. Civili pœna eſt, ne crimine quidem læſæ Majeſtatis excepto. *l.* 225. *d. V. S. l.* 18. *ff. d. Pœn.*

CCCCLXXVIII.

Conſilium autem fraudulentum aliis dediſſe, crimen eſt animadverſione dignum. *l.* 53. §. 2. *d. V. S. l.* 47. *d. R. jur. l.* 16. *ff. d. Pœn.*

CCCCLXXIX.

Mandator ſceleris, veluti homicidii, una cum mandatario reus homicidii & ordinariâ pœnâ plectendus eſt. *l.* 15. § 1. *ff. Ad L. Corn. d. Sicar. l.* 5. *C. d. Accuſ. l. pen. C. Si reus vel accuſ. mort. fuer. l.* 3. *ff. d. Calumn.*

CCCCLXXX.

Nec in infantes, vel pueros infantiæ proximos, nec in furioſos, aut mente captos,

captos, nec in bruta animalia delictum cadere poſſe, ipſa ratio docet.

CCCCLXXXI.

Ebrietas autem, licet quodammodo ſit voluntaria inſania, nec delictum minuit, nec a pœnâ excuſat.

CCCCLXXXII.

Cum furtum ſit delictum naturâ probroſum, nihil eſt quod in definitione Furti in *l.* 1. §. *ult. ff. d. Furt.* deſiderari poſſit.

CCCCLXXXIII.

Qui tempore arctioris annonæ cibum furatur, furtum committit, ſed leviore pœnâ plectendus eſt, *arg. l.* 43. §. 5. *ff. d. R. N. c. ſi quis* 3. *X. d. Furt. c. ſicut* 8. *in f. diſt.* 47. *c.* 26. *diſcipulos d. Conſecrat. diſt.* 5.

CCCCLXXXIV.

Pœna laquei in ſimplex furtum a Frederico *lib.* 2. *Feudor. tit.* 27. §. 8. & moribus plerorumque populorum recepta, nec legibus Moſaicis, nec Juri Civili, nec æquitati, aut juſtitiæ videtur conſentanea. *Exod.* 22. 1. *& ſeq.* §. 1. *Inſt. d. Oblig. ex del.*

CCCCLXXXV.

In quâ Frederici Conſtitutione *excoriari*, eſt virgis ſanguinem excutere; niſi

 quis

quis legere malit *excruciari*; pro *tundatur* autem, ut vitioſe legitur, ſine dubio legendum eſt *tondeatur*. De quo ſupplicii genere vide *l.* 11. *ff. Ad L. Jul. pecul. l.* 2. *C. d. Crim. ſacril. l. ult. C. Ad L. Jul. d. adult. Nov.* 134. *c. ult. Nov. L.* 60.

CCCCLXXXVI.

Accuſatio criminalis cum actione furti in duplum aut quadruplum concurrere, & ſimul inſtitui non poteſt. *l. ult. ff. d. Privat. delict.* §. 10. *Inſt. l.* 6. *ff. d. Injur. l.* 56. §. *ult. ff. d. Furt. l.* 14. *ff. d. Accuſat.*

CCCCLXXXVII.

Veritas convicii de crimine, quod innoteſcere Juſtitiæ & Reip. intereſt, excuſat ab actione & pœnâ injuriarum. *l.* 18. *ff. d. Injur.*

CCCCLXXXVIII.

Qui injuriâ, ſibi illatâ, provocatus retorſione ulciſci ſe voluit, nec actione injuriarum conveniri, nec ullâ pœnâ plecti poſſe videtur. *l.* 25. *d. Procurat. l.* 14. §. 6. *d. Bon. libert.* Sueton. in *Veſpaſ. c.* 9.

CCCCLXXXIX.

Actio injuriæ verbalis, ſeu minus atrocis, annui temporis anguſtiâ exſtinguitur. Quo ſenſu intelligenda eſt *lex* 5. *C. d. Injur.* ubi *annum* interpretandum eſſe utilem, non continuum, verius videtur, *arg.*

arg. l. 1. pr. ff. Si is, qui teſtam. lib. eſſe juſſ. l. 2. §. 13. d. Vi Bon. rapt. l. 1. pr. d. Incend. ruin. &c.

CCCCXC.

Actio autem Injuriæ realis, ſeu atrocis ex Lege Corneliâ, quia eſt civilis, videtur eſſe perpetua. *pr. Inſt. d. Perp. & temp. act.*

LIBER XLVIII.

CCCCXCI.

Conſtitutio Arcadii & Honorii in *l.* 5. *C. Ad L. Jul. maj.* quæ liberos perduellium ob delictum paternum punit, non eſt iniqua;

CCCCXCII.

Nec per *legem* 22. *C. d. Pœn.* antiquata.

CCCCXCIII.

Pœna Legis Juliæ de Adulteriis non fuit capitalis. *l.* 11. *l.* 29. §. 1. *ff. Ad L. Jul. d. adult. l.* 5. *ff. d. Quæſtion. l.* 13. *ff. d. His, quæ ut indign.* Tacit. 2. *Annal. c.* 50. *&* 3. *c.* 24.

CCCCXCIV.

Etiam in ſponſâ alterius committitur

 adul-

adulterium. *l.* 13. §. 3. 8. *ff. l.* 7. *C. Ad L. Jul. d. adult.*

CCCCXCV.

Ut & in meretrice nuptâ. *l.* 13. §. 2. *ff. eod. tit.*

CCCCXCVI.

Etiam inter fratrem & ſororem committi inceſtum, non modo Divino, ſed & Gentium, & Civili Jure verius eſt. *Levit.* 18. 9. *l.* 8. *l.* 14. §. 2. *l.* 39. §. 1. *ff. d. Rit. nupt.*

CCCCXCVII.

Error in perſonâ, veluti ſi quis Titium occidere volens, occiderit Sempronium, non excuſat ab ordinariâ pœnâ Legis Corneliæ de Sicariis. *l.* 18. §. 3. *ff. d. Injur. l.* 41. §. 1. *ff. Ad L. Aquil. l.* 1. §. 3. *l.* 14. *ff. Ad L. Corn. d. Sicar.*

CCCCXCVIII.

Quâ & is tenetur, qui poculo amatorio, vel abortivo mortis cauſam præbuit. *l.* 38. §. 5. *l.* 39. *ff. d. Pœn. l.* 8. *ff. Ad L. Corn. d. Sicar.*

CCCCXCIX.

Ab hac tamen pœnâ excuſat neceſſaria vitæ vel pudicitiæ defenſio, ſalvo moderamine inculpatæ tutelæ facta. *l.* 3. *d. Juſt. & jure. l.* 45. §. *pen. Ad L. Aquil. l.* 1. §.

pen.

pen. ff. Ad L. Corn. d. Sicar. Non autem ſola defenſio bonorum, vel famæ.

D.

In rixâ homine occiſo, ſi auctor cædis ignoretur, non omnes capite, ſed levius extra ordinem plectendi ſunt.

D I.

Pœna quadrupli in crimine Repetundarum olim non Fiſco, ſed actori videtur applicanda. *l.* 1. *C. Ad L. Jul. repet.* ſed poſtea inter Fiſcum & actorem dividenda fuiſſe. *l.* 3. *C. d. Aſſeſſor.*

D I I.

Qui rem profanam ex loco ſacro abſtulit, non Sacrilegii, ſed Furti reus eſt. *l.* 5. *ff. Ad L. Jul. pecul.*

D I I I.

In accuſationibus publicorum criminum, quorum pœna eſt mors Naturalis vel Civilis, nec Procurator accuſatoris, nec Defenſor rei abſentis admittendus, ſed cauſa ex vinculis agenda eſt. *l. pen.* §. 1. *ff. d. Public. jud.*

D I V.

Accuſatio publicorum criminum præſcribitur ſpatio viginti annorum. *l.* 12. *C. Ad L. Corn. d. falſ.* Quæ regula & in crimine

mine læſæ Majeſtatis, & Falſi, & Parricidii locum habere videtur.

D V.

In cauſis criminalibus non habet locum jusjurandum de calumniâ.

D V I.

In criminalibus judiciis & præſumtiones ex probabilibus argumentis collectæ ſufficiunt ad reum convincendum & condemnandum. *l.* 1. §. 3. *ff. Ad L. Corn. d. Sicar. l.* 34. *C. Ad L. Jul. d. adult. l.* 22. *C. Ad L. Corn. d. Falſ. l. ult. C. d. Probat.*

D V I I.

Quæſtio ſeu Tortura nec Juri Divino, nec æquitati convenit, adeoque non eſt legitimus indagandæ, & probandæ veritatis modus, quanquam Jure Romano multis in caſibus receptus.

D V I I I.

Cum autem Quæſtio ſit res fragilis, & periculoſa, & quæ veritatem fallit. *l.* 1. §. 23. *ff. d. Quæſt.* non temere adhibenda, nec facile ei fides tribuenda eſt. Quare nec unius teſtimonium,

D I X.

Nec confeſſio vulnerati in articulo mortis, ſunt indicia ſufficientia ad torturam.

ram. *l.* 20. *ff. d. Quæſtion. l.* 9. *C. d. Teſtib. l.* 3. §. 1. *ff. De SC. Silan.*

D X.

Rei de ſe confeſſi non debent de aliorum criminibus per torturam interrogari. *l.* 16. §. 1. *ff. d. Quæſt. l. ult. C. d. Accuſat.*

D X I.

Reus ſæpius, veluti, ex ratione juris hodierni *ter* tortus, ita ut conſtanter in negatione perſiſtat, vel confeſſionem, in eculeo expreſſam, mox revocet, non modo ab inſtantiâ, ſed & ab ipſo crimine abſolvendus eſt, nec poſtea iterum accuſari poſſe videtur, *arg. l.* 4. *C. d. Edend. l. ult. ff. d. Calumn. l.* 11. *C. d. Accuſat.*

D X I I.

Membri amputatio, quæ non eſt conjuncta cum morte, non eſt pœna capitalis, *arg. l.* 2. *d. Publ. jud. Nov.* 134. *c. ult.*

D X I I I.

Carcer Jure Romano non eſt pœna permiſſa. *l.* 8. §. 9. *l.* 35. *ff. l.* 6. 23. *C. d. Pœn.*

D X I V.

Publicatio ſeu confiſcatio bonorum a Juſtiniano in *Nov.* 134. abrogata eſt in gratiam Deſcendentium & Adſcendentium,

um, usque ad tertium gradum, qui præferuntur Fiſco. Secus ac Agnati, ſeu Collaterales, quos tamen compilator Authenticarum ſine lege etiam Fiſco præfert in *auth. Bona damnatorum C. d. Bon. proſcr.*

D X V.

Cum autem Juſtinianus in *d. Nov.* 134. ſolum crimen læſæ Majeſtatis excipiat, ubi, excluſis omnibus ſanguine junctis, Juri veteri & fiſco locum facit; verius videtur, Hæreſin ſub crimine læſæ Majeſtatis non contineri, adeoque Bona hæreticorum, exſtantibus liberis aut parentibus usque ad tertium gradum, non confiſcari.

D X V I.

In publicatione autem bonorum Fiſco non videtur præſcribi, niſi ſpatio viginti annorum, ex tempore ſententiæ, quâ reus damnatus eſt. *l.* 13. *ff. d. Diverſ. & tempor. præſcr. l.* 1. §. 3. 4. *ff. d. Jure fiſci. l.* 3. *ff. d. Requir. vel abſ. damn.*

D X V I I.

Pœna Jure Civili non eſt mitiganda reo, ſponte confeſſo. *l.* 5. *ff. d. Cuſt. reor. l.* 16. *C. d. Pœn. l.* 1. §. *ult. ff. d. Quæſtion.*

D X V I I I.

Nec pœnitenti. *l.* 65. *d. Furt. l. pen. ff. d.*

d. Vi bon. rapt. l. 3. C. d. Apoſtat. l. 17. §. 1. ff. d. Ædil. edict.

D X I X.

Nec ei, cujus non recens, ſed vetus, & diu admiſſum eſt maleficium.

D X X.

Neç ei, qui caſu fortuito effectum pœnæ evaſit, veluti, qui rupto laqueo, ad quem damnatus erat, in terram prolapſus eſt.

LIBER XLIX.

D X X I.

A ſententiâ interlocutoriâ regulariter appellare non licet.

D X X I I.

In cauſis criminalibus non tantum ipſe reus damnatus, ſed & quilibet ex populo pro eo, etiam invito, appellare poteſt. *l. 6. ff. l. 29. C. d. Appellat. l. 2. §. ult. ff. Quand. appell. ſit.*

D X X I I I.

In judiciis poſſeſſoriis ſeu interdictis non admittitur appellatio. *l. un. C. Si de moment. poſſ. app. ſit.*

DXXIV.

D X X I V.

Apoſtoli, ſeu libelli demiſſorii, petendi ſunt intra triginta dies, a tempore latæ ſententiæ numerandos. *l.* 24. *C. d. Appell.*

D X X V.

In ſecundâ inſtantiâ, ſeu judicio appellationis non videtur opus eſſe novâ litis conteſtatione. *l.* 13. *C. d. Procurat.*

D X X V I.

Finito per ſententiam appellationis judicio, Executio videtur pertinere ad judicem appellationis, ſeu ad quem appellatum eſt, *arg. l.* 19. *l.* 32. §. 2. *C. d. Appellat.*

D X X V I I.

Non delinquere eum, qui in dubiis cauſis contra Fiſcum facile reſponderit, certiſſima eſt Regula juris a Modeſtino concepta in *l.* 10. *ff. d. J. fiſci*, & paſſim innumeris exemplis firmata, adeoque ſine ratione a Duareno, aliiſque in dubium vocata.

D X X V I I I.

Nulla videtur eſſe antinomia inter *legem* 28. *ff. d. Jure fiſci*, & *legem ult. ff. Qui potior. in pign.*

L I.

LIBER L.

DXXIX.

Minor viginti quinque annis regulariter non admittitur ad munera publica, nec ad Reipublicæ adminiſtrationem. *l.* 8. *ff. d. Mun. & honor.*

DXXX.

Legati Principum, qui habent ſupremam & legibus ſolutam poteſtatem, nec in contractibus, nec in delictis, ſubjecti ſunt jurisdictioni ejus Principis, aut Populi, apud quem legationis munere funguntur.

DXXXI.

Curator Reipublicæ, cui rerum ad Civitatem vel Rempublicam pertinentium adminiſtratio commiſſa eſt, illis, quibuscum contraxit, finitâ adminiſtratione, non tenetur. *l.* 3. §. 2. *l.* 9. §. *ult. ff. d. Admin. rer. ad civit. pert.*

DXXXII.

Periculum operis publici, non ad redemptorem, qui opus exſtruxit, ſed ad ipſam Rempublicam pertinere, verius eſt.

eſt. *l.* 9. §. *pen. l.* 13. §. 5. *l.* 25. §. 7. *l.* 36. *in f. l.* 59. *ff. Loc. cond.*

DXXXIII.

In legato vel fideicommiſſo Reipublicæ, ad opus aliquod publicum relicto, heres ob moram tenetur ad uſuras. *l.* 5. *ff. d. Oper. publ. l.* 17. §. *ult. ff. d. Uſur.*

DXXXIV.

Extraordinariæ & Prætoriæ cognitiones mandari poſſe, &, mandatâ jurisdictione, tranſire videntur in mandatarium, *arg. l.* 2. *ff. d. Jurisd. l. ult.* §. 1. *ff. d. Off. ej. cui mand. eſt jurisd.* Diſſ. Cujac.

DXXXV.

In *l.* 5. §. *ult. ff. d. Extraord. cogn.* nullâ opus eſſe videtur emandatione.

DXXXVI.

Nullum videtur eſſe diſſidium inter *legem* 15. §. 1. *ff. d. judic.* & *legem ult. ff. d. Extraord. cognit.*

FINIS.

COR-

CORNELII van ECK

JCti & Anteceſſoris,

DISSERTATIO

DE

SEPTEM DAMNATIS LEGIBUS

PANDECTARUM,

SEU

CRUCIBUS JURISCONSULTORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO DE Septem Damnatis Legibus Pandectarum, ſeu, Crucibus Juriſconſultorum.

CAPUT I.

Lex Vinum. 22. *ff. d. reb. cred. Julianus lib* 4. *ex Minicio.*

De tempore quod in æſtimatione rei ob moram deterioris factæ aut peremptæ, ac judicio petitæ, ineundâ conſiderandum eſt, quæſtio eſt longè diffuſiſſima, quam in *l. Vinum*; definit Julianus, in quâ explicandâ ope-

ram poſuerunt tantum non omnes interpretes, qui quid hic præſtiterint mei non eſt judicii, certè non deſunt Viri eruditi, qui an plene hactenus & ingenue pertractata ſit, dubitant, adeo ut magnus Cujacius in *Tract. ad Afric.* 8. *ad l.* 37. *ff. mand.* poſteaquam quid hac de re ſentiret, pronunciaſſet, in hæc verba concludat: *Hæc eſt ſumma definitio*, inquit, *hujus quæſtionis*, *valde notanda: nam nullus eſt hodie vel judex*, *vel patronus*, *vel Juriſconſultus*, *qui non hæreat maneatque ſuſpenſus*, *quoties tractatur hac de re.* Hæc ille, videamus nunquid mentem Juliani univerſamque hanc de ineundâ æſtimatione controverſiam percipere valeamus, quod ut commodius fiat diſtinguimus, an vera rei æſtimatio facienda ſit officio judicis, an æſtimatio quæ veram excedere poteſt officio judicis per jujurandum in litem, an vero petatur jure actionis ſeu obligationis. Primo caſu iterum diſtinguimus an dictus ſit certus dies quo reddenda res eſt, an minus. Si hoc, initur æſtimatio quanti eo die fuiſſet *vinum* (hoc enim exemplum appoſitè utitur Julianus, quia vinum eſt ex iis mercibus quæ menſurâ conſtant, ſuoque in genere recipiunt functionem per ſolutionem.

l. 2.

l. 2. §. 1. *ff. d. reb. cred.* certamque hanc ſpeciem exprimit quia natura mutui eſt ut ſit certum. *inſcript. tit. ff. & C. d. reb. crud. ſi cert. pet l.* 6. *ff. eod.*) Si dies certus non fuerit adjectus, fit æſtimatio quanti fuiſſet res cum petita eſt. Et hoc illud eſt quod in hunc modum ſcribit Julianus: *Vinum quod mutuum datum erat*, (de mutuo exempli cauſâ loquitur, cum huic quæſtioni & in ſtipulatione & in contractibus bonæ fidei locus ſit.) *per judicem petitum eſt*, ut conſtet in judicio ſuper bonitate vini mutuo dati factam contentionem. Idem loquendi genus uſurpant Furius Anthianus in *l. ult ff. d. R. V.* & Ulpianus in *l.* 3. §. 5. *ff. d. cond. cauſ. dat.*) *quæſitum eſt cujus temporis æſtimatio fieret: utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur?* Nimirum ponendus eſt cum Juliano caſus quo petitum eſt vinum æque bonum & generoſum quam quod mutuum datum erat *v. l,* 2. §. 3. *l.* 3. *ff. h. t.* ita tamen ut ſi id ob moram rei ita præſtari nequeat, petitum ſit ut per officium judicis reddatur debiti vini æſtimatio. *arg. l.* 47. §. 2. *l.* 71. §. 3 *d. legat.* 1. *l.* 8. *ff. d. cond. furt.* Id enim

judici in caſu neceſſitatis licet. *l. 68. ff. d. R. V.* Quod cum non animadverterent interpp. miſerè ſe torquent quomodo judex laboret de tempore faciendæ æſtimationis, cum vinum ipſum, non ejus æſtimatio, in hac ſpecie petita ſit, & ſententia, ut illi ajunt, debeat congruere libello. *l. ult. C. d. fideic. libert. l. 18. ff. comm. divid.* Sed ſciant æſtimationem non differre à rei cui ineſt. *l. 88. ff. d. V. S. ubi Alciat.* & quod dicitur: Sententiam oportere congruam eſſe libello, merum eſſe, ut ita dicam, brocardicum juris: quid enim hoc aliud eſt, quam judicem ab actore in ordinem cogi, ſeque ad ejus nutum componere debere? legis autem ultimæ *C. d. fideic. lib.* qua utuntur an abutuntur? nec ſenſus nec ratio alia eſt, quam heredem, qui improbè & mala fide ſervum ipſum tradere detrectat, in æſtimationem ſervi in judicium deducti & à legatario manumittendi, condemnari non poſſe, quia tum ei ex mente teſtatoris libertas imponi non poſſet, ſtultumque vocat judicem Juſtinianus, qui *in prædictâ cauſâ* (verba ſunt ipſius Imp.) hujuſmodi condemnationem profert. vide legem & judica. Hoc amplius id ſi ad-

admittimus, nunquam judici integrum erit reum abſolvere, cum id nemo quisquam in libello petat, & tamen omnia judicia abſolutoria eſſe evincit *§. ult. j. d. perp. & temp. act.* quod rectè à doctiſſimo Membranarum ſcriptore Lyclamâ, in politiſſimo ad h. l. commentario, obſervatum eſt. diſſentiunt plerique.

Nec audiendi ſunt qui, cum genus in mutuo reddatur, idque perire non poſſit, *l.* 1. §. 4. *ff. V. O. & A.* §. 2. *j. quib. mod. re contr. obl.* fruſtra ſollicitum eſſe Julianum aſſerunt, de æſtimatione rei mutuæ datæ; Quaſi verò vinum aliave merx fungibilis non poſſit aliquo vel anni tempore vel loco deſiderari, &, ut maxime non deſideretur, contrahentes diſſentire nequeant ſuper præſtantiâ vini tum accepti tum reddendi, quam litem officio judicis potius quam rixis ipſorum contrahentium componi Reip. intereſt. *v. l.* 13. §. 3. *ff. de Uſur. l.* 21. *d. reb. cred.*

Pergit Julianus: *Sabinus reſpondit, ſi, dictum eſſet, quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: ſi non, quanti tunc cum petitum eſſet.* Quibus verbis nihil aliud mihi viſus eſt JCtus voluiſſe quam in

æſtimatione rei judicio poſtulatæ ſpectari tempus moræ, ſive in eâ conſtituatur debitor interpellatione creditoris ſive lapſu diei ſolutioni præſtituræ. *l.* 41. *ff. d. reb. cred. l.* 12. *C. d. Contr. & com. ſtip. l.* 32. *d. l.* 11. *de re jud. l.* 13. §. 20. *ff. l.* 5. *C. d. act. empt.* Et hoc ita, ut diximus, in ſpecie ubi vera æſtimatio facienda eſt officio judicis, inſuper habitâ diſtinctione inter judicia b. f. & ſtr. j. *l. noſtrâ* 22. *l.* 12. §. 1. *d. caut. in jud. l.* 20. *l.* 35. §. 1. *d. R. V. l.* 35. §. 8. *d. Ædil. Ed. l.* 2. 3. §. 1. *l.* 38. §. 7. *ff. de Uſur.* nam quod in *l.* 3. §. 2. *ff. Commod.* dicitur in bonæ fidei judiciis tempus ſententiæ, in ſtr. j. litis conteſtatæ reſpici, id non de verâ rei æſtimatione ſed de eâ quæ fit per jusjurandum in litem dicitur.

Quod autem dicimus ſpectari tempus moræ, id ita eſt accipiendum, ut omne lucrum aucti à tempore moræ uſque ad ſententiam pretii, cedat creditori, damnum verò diminuti interea pretii redundet in debitorem, ne mora ejus creditori noceat, & ipſi proſit *l.* 21. §. 3. *d. Act. emp. l.* 3. *ff. de trit. act. l.* 12. §. 1. *ſi quis caution. l.* 173. *d. R. I.*

Hæc longe aliter ſe habent in caſu ſe-

ſecundo, quo videlicet æſtimatio fit officio judicis per jusjurandum in litem, id quod tum in ſtr. j. judiciis locum habet cum illa fiunt arbitraria. *l.* 5. *in f. ff. d. in tit. jur.* aliàs in eo actionum genere in litem non juratur. *l.* 6. *ff. eod.* in hac enim ſpecie diſtinguimus inter judicia b. f. & ſtr. j. ut in b. f. judiciis ſpectetur tempus condemnationis ut terminus ad quem, litis verò conteſtatæ ut terminus à quo (nam ita loquuntur DD.) tempus enim condemnationis latius accipimus, unde ſi res ante ſententiam exſtincta ſit, æſtimatur quanti fuit tempore interitus rei *l.* 3. *ff. d. Cond. trit.* in ſtr. vero juris judiciis ſpectetur tempus litis conteſtatæ ut terminus à quo & ad quem. *l.* 3. §. 2. *ff. Commod. l. ul. d. Cond. trit.* Ratio differentiæ in promptu eſt, quia in b. f. judiciis, quorum natura laxior eſt & liberior. *l.* 7. *ff. d. neg. gel.* judici integrum eſt admittere ea quæ poſt conteſtatam litem uſque ad ſententiam proponuntur. *l.* 3. *d. R. V. l.* 38. *d. pet. her. l. ul. eod. l.* 3. *ff. d. reſcind. vend. l.* 31. §. 20. *d. Æd. Ed.* Contra in ſtr. juris judiciis actioni propoſitæ ita aſtrictus erat judex, ut nullius rei, niſi quæ formulæ erat inſerta,

A 5 ra-

rationem habere, nihilque niſi quod expreſſe in judicium deductum erat, adjudicare poſſet. Qui tamen ſtrictorum judiciorum rigor non obſtat quo minus judex ita poſſit temperare atque extendere officium ſuum, ut, cum res ipſa haberi non poteſt, condemnet in rei æſtimationem, maxime cum & in ſtr. j. actione ex ſtipulatu, litem quanti actoris intereſt *l.* 113. §. 1. *d. V. O.* & in ſtricta actione ex teſtamento rem ipſam æſtimet. *l.* 73. *d. reg.* 2. fac. *l.* 9. *l. ul. ff. d. R. Vind.* licet non deſint qui diſſentiunt.

Cæterum quod diximus in ſtr. j. actionibus in quibus in litem juratur reſpici tempus litis conteſtatæ, id ita ut in ſuperiori ſpecie accipe, niſi debitor ante fuerit in morâ, tum enim tempus moræ ſpectari argumento ſunt *l.* 37. §. 1. *mand. l.* 9. *verb. cum furtum ſit*, *d. in lit. jur. l.* 8. §. *pen. d. cond. furt.* ubi quia fur quolibet momento à tempore rei ablatæ moram facere intelligitur, res æſtimatur quanti unquam plurimi fuit: licet enim auctore Papiniano in *l.* 3. *ff. d. uſur.* raro ſine morâ in judicium perveniatur aliquando tamen id fieri teſtatum facit. *l.* 21. *&* *ſeqq. ff. eod.*

Je-

Jejunum autem eſt quod quidam hîc objiciunt in actione triticiariâ, quam ſtr. juris eſſe gratis ſupponunt, ſpectari tempus condemnationis *l.* 3. *d. Cond. trit.* neque enim condictio triticiaria eſt ſtr. juris, nec ſpecie differt ab aliis actionibus, ſed eſt adjectitia qualitas nunc b. f. nunc ſtr. j. actioni accedens, earumque naturam imitans. *arg. l.* 1. *ff. eod.* ita ut ſi accedat judicio b. fidei, ſpectetur tempus condemnationis, qui ſenſus eſt *d. l.* 3. Si vero adjiciatur ſtr. j. judicio ratio habeatur litis conteſtatæ, quo ſenſu accipimus *l.* 4. *ff. d. tit.* Ut hîc ſubeat mirari judicium Clar. Vinnii qui *Illuſt. Quæſtion. l.* 1. *c.* 39. in re tam evidenti amplius deliberandum putat. Sed de his hactenus, de caſu tertio videamus, cum æſtimatio jure actionis ſeu obligationis petitur, ut ſi in ſtipulatum deducta ſit, vel fidejuſſor rem quam fide ſuâ eſſe juſſerat ſolvat pro principali ejusque pretium repetat; atque hac in ſpecie conſiderari tempus contractus explorati juris eſt, nec aliud ſibi voluerunt Jurisconſulti in *l.* 28. *d. novat. l* 22. *d. O. & A. l.* 37. *pr. ff. mand.* & tum non quæritur creverit an decreverit æſtimatio ſed in eam con-

condemnat judex in quam ſe debitor obligavit. *d. l.* 28. *d. l.* 37.

His ita de ratione temporis quod ſpectandum in rerum æſtimatione expoſitis reliquum eſt, ut cum Juliano videamus de loco qui in pretio reſpiciendus eſt: *Interrogavi*, inquit, *cujus loci pretium ſequi oporteat? Reſpondit*, (Sabinus ſcilicet) *ſi conveniſſet, ut certo loco redderetur, quanti eo loco eſſet, ſi dictum non eſſet, quanti ubi eſſet petitum.* Et hoc eſt quod dicitur in *l. ult. ff. d. Cond. trit. l.* 3. §. *f. D. d. Act. emp.* Adeo ut res non obſcura nullis opus habeat argumentis. Atque hæc de lege *Vinum*, quod ut modice ſumptum prodeſt, ita & nos in ejus legis interpretatione modicos eſſe, &, quantum ſufficit dicere ſatius eſt, quam multa alterius loci; & à quæſtione præſenti prorſus aliena, ut ſolent ferè interpretes in hoc capite eſſe prolixiores, in medium afferre.

CA-

CAPUT II.

Lex, Lecta. 40. ff. d. reb. cred. Paulus lib. 3. Quæſtionum.

Summa quæſtionis quæ in hoc capite deciditur eſt, an pactum de ſorte, quæ antea ſimul & eodem tempore præſtanda erat per partes ſolvendâ, ſtipulationi ſortis & uſurarum incontinenti adjectum, ita ſtipulationi inſit ut etiam obligatio uſurarum pro ratâ penſionum diviſa cenſeatur. Libet in hujus legis, quam, ob ſummam obſcuritatem quam plerorumque omnium DD. oculis offudit, *lectam*, at nondum *intellectam* vocant, genuinum ſenſum preſſius inquirere. Audiamus JCtum: *Lecta eſt*, inquit, *in auditorio Æmilii Papiniani.* Auditorium, licet etiam de ſcholis publicis uſurpetur. *l.* 54. *de re jud.* proprie tamen eſt in quo cauſæ aguntur, cognoſcuntur & deciduntur. *l.* 4. *in f. d. lib. cauſ. l.* 1. *an per al. cauſ. app. l.* 1. §. *ult. ne de ſtat. def.* ſive à Principe. *l.* 18. *d. min. l.* 22. *pr. ad. SC. Treb. l.* 36. *in f. C. de Appel.* ſive à magiſtratu, ut hic à Præfecto

fecto Prætorio. & in *l. pen. ff. d. off. aff.* Nam jus poſtquam in Comitio ſeu Puteali Libonis reddi deſiit in auditoriis redditum fuiſſe, ut de Plinio & Quintiliano nihil dicam, abunde probat Tacitus vel, quiſquis eſt auctor, de Orat. cap. 39. ubi *Quantum virium*, ait, *detraxiſſe orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus jam ferè plurimæ cauſſæ explicantur?* Hinc in *l.* 41. *ff. d. rec. q. arb. Auditorium recipere*, idem eſt quod ſedere ad partes audiendas ſuper re controverſâ, ut recte ad *d. l.* explicat Mornacius. *Præfecti Prætorio, Juriſconſulti*, Papinianum noſtrum, qui ob verborum ac ſententiarum, quibus utitur, venuſtatem, ſummamque eruditionem, diſertiſſimi & prudentiſſimi nomen ſummaſque dignitates eſt conſecutus, *l. ult. C. d. Præd. & al. reb. min.* Præfectum Prætorio fuiſſe fidem facit vetus apud Aldum Manutium in Ratione Orthographiæ pag. 449. inſcriptio:

ÆMILIO. PAULO. PAPINIANO.
PRÆFECTO. PRÆTORIO. JCto.
QUI. VIX. ANN. XXXVI. DIES.
X. MENS. III. PAPINIANUS. ....
HOSTILIUS. EUGENIA. ....
GRACILII. TURBATO. .....

OR-

ORDINE. IN. SENIO. HEU. .... PARENTES. FECERUNT. FI-LIO. . . . OPTIMO.

Cautio. Cautio, quæ & epiſtola dicitur. *l.* 5. §. 3. *l.* 24. *ff. Conſt. pec.* nihil aliud ſignificat quam certam formulam & verborum conceptionem. *dd. ll.* vel ſecuritatem. *l.* 25. *d. R. J. Lucius Titius ſcripſi* (verbum eſt ſolenne in cautionibus uſitatum. *v. d. l.* 5. §. 3. *l.* 24 *d. conſ. pec.*) *me accepiſſe à Publ. Mævio quindecim mutua.* i. e. quindecim denariorum millia, ut ex ſequentib. hujus cap, verbis: *denarios tricenos*, colligere licet: maxime cum eodem loquendi genere utatur Scævola in *l.* 88. §. 10. *d. leg.* 2. ubi procul dubio verba *denaria tria*, idem valent quod tria millia denarium. Eâ enim tempeſtate rationes ad denarios conſici ſolitas fuiſſe tralatitium eſt, & probatur ex *l.* 26. §. 1. *depoſ. l.* 29. *d. V. O. l.* 126. §. 1. *eod. l.* 8. *d. acceptio.* aliisque, ex quibus etiam conſtat noſtros verba *denaria* & *denarios* promiſcue uſurpaſſe, *numerata mihi de domo.* Idem eſt ac ſi diceret ex arcâ, ut loquitur Scævola in *l.* 26. *d. Conſt. pec.* Sic Seneca *Epiſt.* 26. *Expecta puſillum*, inquit, *& de domo fiet numeratio.* Solebant enim Romani vel

do-

domi ex arcâ, vel de menſæ ſcripturâ (quoniam ad numerationem pecuniæ antecederet ſcriptura. unde *reſcribere* dicebant, pro, renumerare) pecuniam numerare. Donatus ad *Terent. Adelph. Act.* 2. *Scen.* 4. *v.* 13. *Tum enim in foro & de menſæ ſcriptura magis, quam ex arca domoque, vel ciſta pecunia numerabatur.* de menſa autem numerare dicebantur, quia menſas ſeu tabernas argentarias, quas conſtruxiſſe L. Tarquinium auctor eſt Dion. Halicarnaſſæus, in foro poſitas habebant, ad quas pecuniæ vel fœnoris cauſa deferebantur (unde Cicero *æs circum foraneum* vocat quod in tabernis iſtis fœnori ſumptum erat) vel deponebantur ſine fœnore, ut ob fidem publicam tutiore loco quam privatis in ædibus eſſent, ut probat Ulpian. in *l.* 24. §. 2. *d. rect. auct. jud.* unde Gajus eorum officium & miniſterium publicam cauſam habere ſcribit in *l.* 10. §. 1. *d. Edend.*

Et hæc quindecim proba (ſolebant enim fere probos nummos promittere debitores) *recte dari* (formula eſt cautionum antiqua & vulgata. *l.* 12. §. 1. *d. V. O.* quam Ulpian. in *l.* 71. §. 1. *d. V. O.* ſic explicat: *Hæc verba*, his rebus recte præſtari, *hoc ſignificant, ne quod vel periculum*

ſum vel damnum ex ea re ſtipulator ſentiret.) *Kalendis futuris.* i. e. proximis, ne abſurdus ſit ſenſus. *v. l.* 41. *ff. d. V. O. ſtipulatus eſt Publ. Mævius, ſpopondi ego L. Titius. Si die ſupra ſumma Publ. Mævio, eive* (alii leg. *Sive*) *ad quem ea res pertinebit*, i. e. heredi, ut infra. Haloande legit: *Si ea die.* Fr. Hottomannus, Vir ſane quem præter admirandam jur. Rom ſcientiam inprimis ſermonis puritas & elegantia pariter vel ipſius magni Scaligeri judicio commendat, legendum putat: *Si die ſua ſupraſcripta*, ad idque utitur *arg. l.* 122. *d. V.* O. Ego, ut tanti Viri judicio & eruditis plerumque emendationibus nihil non tribuo, ita promiſcuis correctionibus textus, præſertim ubi nulla nos ad id movet vel ratio, vel MSS. Codd. auctoritas, temerare, ſecare, urere piaculum duco. *Data ſoluta ſatis ve eo nomine factum non erit, tunc eo amplius.* i. e. ſupra ſeu præter ſortem. *v. l.* 54. *d. leg.* 4. *quo poſt ſolvam* (Hottomannus legit *Quoad poſt*, ut ſenſus ſit, ſi ſortem non ſolvam, uſuram ultra eam quoadusque ſortem integram perſolvero, pendam; nec diſplicet emendatio ob verba ſequentia *Quoad tardius ſoluta* &c) *pœnæ nomine* (ita appellat uſuram, quæ ſub non

B factæ

factæ ſolutionis conditione promiſſa erat; *l. ult. d. eo quod cer. l.* 90. *d. V.* O.) *in dies triginta.* i. e. menſem, facit *l.* 101. *d. R. I.* Veteribus enim uſuras, non ut nobis in annos, ſed in menſes ſingulos pendere & exigere receptum erat. *l.* 90. *d. V.* O. *l.* 8. §. 4. *d. Tranſ. l.* 26. *depoſ.* Hinc Horatio *triſtes uſuræ*, quod debitorem triſtem efficiant. Satyr. 3. v. 87.

> *Qui, niſi cum triſtes miſero venere Kalendæ.*

& Epod. 2. v. 69.

> *Omnem relegit Idibus pecuniam quærit Kalendis ponere.*

Ovid. lib. 2. Remed. Amor.

> *Qui Puteal, janumque timet, celeresque Kalendas,*
> *Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.*

Hinc Calendarium eſt occupatarum ſeu fœnori collocatarum pecuniarum codex, in quo patresfam. Kalendar. nomine præſcripto debitorum nomine perſcribebant, eique nonnunquam præponebant ſervum diſpenſatorem *l.* 41. *ff. h. t. l. ult. ff.*

d. pe-

d. pecul. v. l. 41. §. 4. 6. *d. leg.* 3. *l.* 62. *eod. l.* 3. *C. d. compenſ.* Unde condictio certi dicitur *actio Kalendarii* in *l.* 36. §. 14. *ff. d. admin. tut.*

Inque denarios centenos, denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt P. Mævius, ſpopondi ego L. Titius. Denarius dictus eſt ab eo quod denos æris valebat, hinc teſte Priſciano in libello deponderibus notari ſolebat per X. perſcriptam, licet eſſet aſſium ſexdecim (diſſent. nonnulli), quemadmodum Seſtertius dicitur, licet tantum ſit aſſium 4. Cæterum ſi monetam R. ad Græcam redigas, vero ſimile eſt denarium reſpondiſſe drachmæ Atticæ, quod omnes denarii qui hodiè reperiuntur ejuſdem ſint cum drachmâ ponderis, ut in appendendis & cum drachmà conferendis denariis Schaligeri, Budæi, Cappelli, Snellii, Agricolæ aliorumque experimenta planum fecerunt, multaque veterum teſtimonia, quæ hic enumerare longum eſſet, confirmant. Atque hæc poſt Budæum & Voſſium, ſententia quoque eſt Viri Clar. & noſtrâ deprædicatione longè majoris Joh. Fr. Gronovii, in libro de Pecunia Vetere *Cap.* VI. Diſſentiunt P. Manutius & Hadr. Junius. Verum ego in

præſentiarum hanc litem meam non facio. Facilius denarios ad monetam Belgicam redigas, cum enim denarius conſtet 4. Seſtertiis, 20. autem ſeſtertia Caroleum conficiant, bene ſubductâ ratione conſtat denarios 5 valere Caroleum. Sed pergamus cum JCto. *Convenitque inter nos*, inquit, *uti pro Mævio ex ſummâ ſupraſcripta menſtruos refundere debeam denarios tricenos ex omni ſumma ei, heredive ejus. Quæſitum eſt de obligatione uſurarum* (i. e. utrum integræ ſortis, & ex die ſtipulationis, an cujuſque tantum penſionis ſua die non ſalutæ uſuræ deberentur) *quoniam numerus menſium qui ſolutioni competebat, tranſierat? Dicebam, quia pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur, perinde eſſe ac ſi ſuper ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet uſuras adjeciſſet. Igitur finito primo menſe, primæ penſionis uſuras currere.* &c. Hoc opus, hic labor eſt, hæc ſunt præcipua verba quæ damnatarum numero adſcripſerunt hanc l. & crucem fixere Viris eruditis. Pacta enim b. f. contractibus incontinenti adjecta ineſſe tum à parte rei tum actoris (i. e. partem vel membrum fieri contra-

tractus cui adjiciuntur, ita ut actionem inde natam forment, ſeu modum ponant actioni jam ex contractu partæ, ut vel in plus vel minus competat quam ante pactum adjectum, & detur tam de eo quod pacto, quam quod ipſo contractu actum eſt) ſecus autem eſſe in contractibus ſtr. j. tam certum videtur juris noſtri principium quam quod certiſſimum. *l.* 7. §. 5. *ff. d. pact. l.* 13. *C. eod. l.* 3. *C. d. Uſur. l.* 11. §. 1. *d. reb. cred. l.* 99. *d. V.* O. Id tamen parum abeſt quin per hæc verba plane incertum & dubium, ne dicam falſum reddatur, neque enim ſtipulatio, ut vel dupondii norunt, eſt contractus b. f., ſed ſtr. juris. Communis fere DD. ſchola hinc concludit pacta incontinenti adjecta ſtr. j. contractibus æque ineſſe ac contractibus b. f., & id quod dicitur in *l.* 7. §. 5. *d. pact.* exempli tantum cauſa de b. f. judiciis referri, uti ſæpe alias de b. f. contractibus affirmantur ea, quæ illis non ſunt propria. *l.* 5. *ff. d. pign. act. l.* 2. *ff. & quib. cauſ. maj.* Hanc autem fuiſſe Ulp. mentem mihi non fit veroſimile ob alia j. noſtri loca, & principia. Cujacius & Donellus, aliique melioris notæ auctores hæc verba ita ex-

 pli-

plicant, quaſi dixiſſet Paulus: ineſſe quidem ſtipulationi pacta, ſed ex parte rei tantum, (quanquam, ſi propriè loquimur, ineſſe ex parte rei ſeu prodeſſe ad exceptionem proprie ineſſe dici non poteſt: pactum enim etiam non adjectum contractui tamen prodeſt ad exceptionem *l.* 7. §. 2. & §. 4. *d. Pact. l.* 15. *præſcr. verb. l.* 1. *C. d. Pact. conv.* &c. Hanc autem Cujacii reſponſionem refellit *l.* 4. §. 3. *d. pact.* Si enim inſunt, ut inde conſtat, pacta, partem contractus faciunt, quod ſi verum eſt actionem etiam formant) adeoque non niſi ad exceptionem prodeſſe. In quam ſententiam plurimis probatam quo minus pedibus eam prohibent verba hujus L. ſequentia: *Et ſi ut ille putabat* (credibile eſt Paulum hic æmulum ſuum Ulpian. deſignare) *ad exceptionem tantum prodeſſet pactum* (*quamvis ſententia diverſa obtinuerit*) *tamen uſurarum obligatio ipſo j. non committetur.* Quid? an dicemus Paul. Ulpiano contrarium? ita contra majeſtatem j. Rom. manifeſtam admittimus antinomiam. An Paulum dicemus mala fide affirmaſſe Ulpian. ſententiam improbatam fuiſſe, ut ſæpe ſolent JCti. *l.* 18. *d. reb. or. l.* 3. §. 5. *d. acq.*

acq. poſ. l. 30. *pr. fac.* ita parum reverenter mendacii inſimulamus magnum JCtum. An à Pauli parte ſtabimus? ita quidem vim inferre videremur principiis juris. Mihi ut tandem in difficillimâ re quod ſentio, libere dicam, verior videtur media ſententia Bacchovii *ad Prot. tit. d. pac.* quique eum ſequitur Cl. Bockelmanni, in Tract. *d. Action. Cap.* 3. *part.* 9. §. 18. Profeſſoris quondam noſtri chariſſimi, qui nuper cælo redonatus triſte ſui nobis deſiderium reliquit, magnamque jurifpr. Rom. totique Reip. litterariæ cladem obitu ſuo impoſuit. Diſtinguimus itaque inter contractus ſtr. j. qui rei traditione perficiuntur, ut mutuum, cui non inſunt pacta adjecta niſi ex parte rei, & ſtipulationem, cui ineſſe affirmamus tam ex parte actoris quam rei, adeoque formare actionem ex ſtipulatu natam. Ratio differentiæ eſt quia in contractibus qui re ineuntur pacto effici non poteſt, ut quis plus reddere cogatur, quam accepit. *l.* 17. *pr. ff. d. pact. l.* 11. §. 1. *ff. d. reb. cred.* nam quod in *l.* 48. *ff. d. pact.* dicitur traditionibus rerum quodcunque pactum ſit id valere manifeſtiſſimum eſt, accipien-

dum eſt non de pacto nudo, ſed traditione munito, nec de eo quod format actionem aliunde natam, ſed quod parit actionem præſcriptis verbis: pacta enim adjecta dationibus factisque informibus faciunt contractum innominatum. Et, quod caput eſt, nusquam in hujus modi contractibus talis pacto adjecto effectus tribuitur. Ut jam taceam pacta adjecta plerumque eſſe de caſu, dolo, vel culpa, quæ difficilius locum habent in contractibus re conſtantib. *l.* 11. *de reb. cr.* Diſſ. Goed. aliique, qui mutuo quoque ineſſe pactum & prodeſſe ad actionem contendunt quos ſatis confutat *d. l.* 11. §. 1. *ff.* 1. ut neceſſe non ſit pluribus ea de re agere. Contra in ſtipulatione pactum ineſſe à parte actoris & rei evincit tum ratio juris manifeſta, ob ſummam affinitatem quæ intercedit ſtipulationi cum pactis, ita ut dubitari videas an pactum an ſtipulatio inita ſit. *l.* 7. §. 12. *ff. d. Pact.* tum leges extra omnem dubitationis & exceptionis aleam poſitæ, ut noſtra *l. lecta*, & *l.* 4 §. 3. *ff. d. Pact.* Nec Paulus hic ab Ulpiano *in d. l.* 7. §. 5. diſcrepat cum is idem de ſtipulatione in *d. l.* 4. §. 3. affirmet nedum ut contrarium pronunciet. Et hæc

hæc ita ſi pacta *incontinenti* adjiciuntur: ex intervallo enim adjecta non inerunt, nec valebunt ſi agat, inquit Ulpian. *in l.* 7. § 5. *de Pact.* niſi pacta ſint detrahentia, & de naturâ, contractus. *d. l.* 7. §. 6. *l.* 72. *ff. d. Contr. emp.* Eſt autem hæc locutio noſtris familiariſſima idem ſignificans, quod illico, ſine intermiſſione, ut in l. 3. §. 5. *ff. d. vi & vi arm.* Ulp. ipſe explicat *v. l.* 135. §. 2. *d. V.* O. *l.* 3. *C. d. Æd. Ed.* Continens enim idem eſt Latinis quod junctum & contiguum. l. 139. l. 154. l. 147. l. 99. §. 1. *d. V.* S. Cæterum pacta in continenti adjecta dicuntur non tantum quæ in ingreſſu *d.* l. 7. §. 5. vel initio contractus l. 23. *d. R J.* l. 5. *C. d.* Pact. *int. emp.* ſed & quæ ſtatim ſine intermiſſione & antequam partes ad alia negotia diverterint adduntur, quo pertinet vox *ſubſecuta. in d.* §. 5. hinc in l. 3. *C. d. Ædil. Ed.* & antecedens & ſecutum pactum ineſſe aſſeritur. Nec inſolitum eſt verba *in continenti ἐν πλάτει* & latius accipi. *l.* 25. §. 4. *d. Acq. her.* l. 13. *de ſolut.* l. 23. §. *ul. ad* l. *jul. d. adult.* Pergit Paulus: *Sed cum ſortis petitio dilata ſit &c. tamen uſurarum obligatio non committetur: non enim in mora*

eſt

eſt is à quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt. Senſus eſt: etiamſi maxime concedatur, (*quamquam ſententia diverſa obtinuerit*) pactum ſtipulationi adjectum tantum prodeſſe ad exceptionem, tamen uſurarum obligatio ipſo jure non committetur. Ratio eſt quia uſuras peti antequam ſors peti poſſit periniquum eſſet.

Si quantitatem quæ medio tempore &c. Hæc verba nihil aliud ſibi volunt quam, ſi aliquid ſub conditione ſtipulati ſimus, & adjecerimus ut exiſtente conditione non modo res e. g. ager, ſed & fructus interea temporis ex die factæ ſtipulationis percepti nobis præſtentur, petere ea omnia nos poſſe, ut latius explicatur *in l.* 64. *ff. d. V. O.* Quod ut in fructibus verum eſſe certum eſt, ita & in uſuris affirmat, quia uſuræ vicem fructuum obtinent *l.* 34. *ff. d. uſur.*

Vix poſſum mihi temperare quin ad hujus legis explicationem adjiciam Fran. Hottomannum heic acerbe in capitis hujus auctorem Paulum, eumque nunc miſeræ ac nimiæ ſubtilitatis, nunc injuſtitiæ, nunc confidentiæ reum agere. Sed videtur mihi Vir Eruditiſſimus id dixiſſe potius

potius ut ſententiæ ſuæ, uſuras j. civili non eſſe licitas, velificaretur, quam quod revera ita ſenſerit. Certe cum nihil hactenus in hoc textu deprehenderimus quod vel injuſtitiam vel confidentiam ſapiat, id operam dabimus, ut JCtum noſtrum ab omni injuria & calumnia vindicemus, adducti eo quod noſter alibi ait, Non oportere jus civile calumniari, neque verba captari, ſed quâ mente quid dicatur animadvertere convenit. *l. pen. ff. ad Exhib.*

CAPUT III.

Lex, Frater à fratre. 38. *ff. d. condict. indeb. Africanus lib.* 9. *Quæſtionum.*

Hoc caput defficile & obſcurum reddit tum ipſa res & argumentum longè ſubtiliſſimum, tum confuſa, perturbata, & prolixa interpretum docendi ratio, in quorum reſponſis intelligendis & cum ipſa lege, quam, ſi diis placet, quisque ſibi optimè explicaſſe videtur, conciliandis, Oedipo opus eſſet, & plus laboris exhauriendum quam in ipſa

ipſa l. interpretandâ. Cujus verum ſenſum ut facilius aſſequamur, more mathematicis recepto, præmittemus axiomata quædam, ſeu certiſſima juris Rom. principia, ex quibus deductum Africani reſponſum, licet quavis cruce intricatius videatur, longè erit facillimum.

Primum itaque dicimus obligationem in genere eſſe vinculum juris quo neceſſitate aſtringimur ad aliquid præſtandum. Quod jus cum ſit, vel naturale, vel civile, vel mixtum, triplex quoque ejus vinculum ſit oportet. Unde obligationem diſpeſcimus in naturalem, civilem & mixtam.

2. Naturalem deinde vocamus eam quæ ex merâ æquitate naturali naſcitur. *l. 95. §. 4. ff. de ſolut.* Civilem vinculum meri juris civilis. Mixtam, quæ & ſæpiſſime civilis dicitur, vinculum naturalis juris & civilis ſimul, ita ut non tantum alios effectus non contemnendos, ſed & actionem producat. *pr. j. d. Oblig.*

3. Naturalem dividimus in efficacem, & inefficacemque non quidem actionem, alios tamen effectus parit *l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 26. §. 2. d. cond. ind. l. 6. ff. d. comp. l. 1. §. 7. d. conſt. pec.*

4.

4. Unde & repetitionem indebiti ſoluti impedit. *l.* 13. *l.* 64. *ff. b. t. l.* 6. §. *ult. l.* 26. §. 4. *d. fidejuſſ.*

5. Inefficacem dicimus quæ ſolius æquitatis vinculo munita nullum in jur. civ. effectum parit *l.* 25. §. 11. *d. pet. her. l.* 5. §. 15. *ff. d. don. int. vir.*

6. Civilis eſt vel effectu plenior, quæ actionem parit, ut obligatio litterarum, ex jurejur., ex confeſſ. in jure. *l.* 56. *d. re jud. t. t. d. O. & A.* Vel minus plena unde nata actio facile per exceptionem eliditur, ut obligatio ex negotio errore, dolo, metuve geſto vel alio quovis cui obeſt exceptio de non petendo. *l.* 3. §. 1. *ff. d. Conſ. pec.* §. 1, 2, 3. *j. d. Except.*

7. Licet filiusf. ex omni cauſa, ſi votum. *l.* 1. *d. pollic.* & mutuum obſtante SCto Maced. *l.* 1. *& t. t. ff. & C. ad SC. Mac.* excipias, obligetur ut paterf. *l.* 39. *d. O. & A.* pater tamen filio vel filius patri civiliter non obligatur. *l.* 5. *l.* 11. *d. jud. l.* 7. *de* O. *& A.* l. 15. §. 1. *d. Pecul.* Ratio eſt quod cum pater vitæ & necis omnisque adeo fortunæ filii jus haberet. l. 11. *ff. d. lib. & poſth.* §. 1. *j. p. quas perſ. cuiq. Gell. lib.* 17. *c.* 19. *Dion. Halicarn. lib.* 2. nihil ei filius nec

nec ipſe filio promittere poteſt, quod non ſibi per filium acquirat, atque ita & debitor ſit & creditor.

8. Hæc ita niſi filius bona caſtrenſia, vel adventitia plena habeat. *l.* 2. *ff. ad SC. Mac. d. l.* 4. *d. jud. l.* 22. *C. d. Collat. N.* 117. *c.* 1. *N.* 18. *c.* 2.

9. Ex eâdem ratione nec frater fratri in ejuſdem patris poteſtate conſtituto civiliter obligatur, quicquid enim acquirunt cedit patri, *pr. &* §. 1. *j. per. quis perſ. cuiq. acq.*

10. Et filius patri, & pater filio, & fratri frater recte naturaliter obligatur, & quidem eâ obligatione quam ſupra naturalem pleniorem ſeu efficacem diximus. Natura enim ſimplex eſt & aliena à figmento illo j. Civ. quo pater & filius ob nexum & vinculum patriæ poteſtatis pro una perſonâ habentur. *v. l.* 10. *d. opt. leg.*

11. Nihilominus tamen filiusf. tam naturalem quam civilem obligationem acquirit patri, ut ne momento quidem ſubſiſtat in ejus perſonâ. *l.* 79. *d. Acq. her. l.* 1. *pr. ſi à par. quis man. fac. l.* 9. §. 3. *l.* 6. *pr. d. pecul.* unde Africanus filium cui alter filius mutuam pecuniam dederat debitorem patris vocat, in verb.

Filio

Filio eidemque debitori. Nec movet, quod ſi patri acquiritur obligatio naturalis filii, nunquam videatur pater naturaliter filio obligari poſſe, cum is eodem momento adquirendo abligationem & debitor eſſet & creditor, & tamen obligari dicitur in §. *quæſitum. huj. leg.* nam acquiritur quidem nat. obligatio patri, ſed non intelligitur acquiſita, quamdiu peculium manet apud filium, neque enim tum jure ſuo utitur pater. *l.* 4. *pr. d. pecul. l.* 37. §. 1. *d. Acq. R. O.*

12. Confuſione tollitur non tantum civilis ſed & naturalis obligatio, ut ait Noſter in *l.* 21. §. 3. *ff. d. fidej. l.* 71. *ead. l.* 95. §. 2. *d. Solut.*

13 Confuſio obligationis fit vel adquiſitione hereditatis, cum debitor creditori heres exſtiterit *l.* 33. *d. ſolut, l.* 71. *d. fidej.*, ita ut confundatur obligatio pro parte qua heres eſt, *l.* 7. *C, d. Neg. geſ.* vel acquiſitione peculii, cum peculium debitoris ad creditorem peculiarem vel heredem ejus pervenerit.

14. Hereditas & peculium tranſeunt cum ſuo onere adeo ut is cui acquiſitum eſt vel peculium vel hereditas, ſuſtineat onus æris alieni & ſecum penſaſſe ſibique ſolviſſe intelligatur, etiamſi ſit creditor

ditor peculiaris vel creditoris peculiaris heres. fac. l. 47. §. *pen.* §. *d. pecul.*

Hac præmiſſa velitatione videamus ipſam legem: *Frater à fratre*, inquit Africanus, *cum in ejusdem* (patris ſc.) *poteſtate eſſent* (& ſinguli peculium haberent) *pecuniam mutuatus* (ex quo negotio tantum naturalem non civilem obligationem inter fratres naſci expeditum eſt, ex actiomate 4. & 5. ex ipſa l. §. 1.) *poſt mortem patris ſolvit.* (per errorem ſcil. nam qui ſciens ſolvit vel civiliter vel naturaliter indebitum donaſſe intelligitur l. 53. *d. R. J.* l. 2. *c. d. fidej.*) *quæſitum eſt an repetere poſſit? Reſpondit utique quidem pro eâ parte qua ipſe patri heres extitiſſet repetiturum.* Fac fratrem Titium crediſſe fratri Mævio, qui cum poſt mortem patris ſolviſſet quod debebat, id quod ſolvit condictione indebiti repetere poteſt. Licet enim fratri frater naturaliter obligetur, *v. axiom.* 10. & naturalis obligatio impediat indebiti condictionem. *l.* 13. *b. t. ax.* 4. longe tamen alia hic ratio eſt, cum obligatio illa ſublata & confuſa ſit, frater enim creditor totam obligationem patri acquiſiverat. *l.* 79, *d. acq. her. l.* 95. §. 2. *d. ſolut.*

lut. v. ax. 6. quæ obligatio cum defuncto patre ad fratrem Mævium debitorem, pro ea parte qua heres erat, tranſierit, atque ita jus debitoris & creditoris in una perſona concurrerit, evidentiſſimum eſt ex axiomate 11, pro parte confuſione ſublatam obligationem ex mutuo natam *d. l. 95. §. 2.* Unde evincitur cum mutuum jam redditum indebitum ſaltem pro ea parte quæ fratri debitori ceſſit, fiat, pro ea quoque parte condictione indebiti repeti poſſe. Quæ cum non obſervaſſet Franc. Hottomannus pro *repetiturum*, legit addita particula negativa *non repetiturum*; quæ temeraria Hottomanni correctio adeo Cujacio bilem movit, ut eum *in Tract. 9. ad Afric. ad hanc l.* ideo ſcutica dignum pronunciet. *Pro ea vero*, pergit JCtus, *qua frater* (ſc. Titius creditor) *heres extiterit ita repetiturum ſi non minus ex peculio ſuo* (i. e. fratris debitoris) *ad fratrem* i. e. creditorem *perveniſſet*. Quibus verbis id mihi viſus eſt voluiſſe Africanus, Mævium fratrem debitorem pro parte qua ipſe heres non eſt, non poſſe ſolutum ut indebitum condicere, niſi vel totum id quod indebitum ſolverat Mævius, vel pars ejus ex peculio Mævii, poſt de-

functum patrem ad fratrem Titium creditorem, ut pars hereditatis paternæ (nam peculium profectitium mortuo patre in collationem bonorum venire certum eſt. *l.* 12. *C. d. Collat. l.* 13. *C. fam. erc*) perveniſſet; tum enim ait fratrem Mævium condicere id omne, ut indebitum, poſſe. Rationem ipſe addit Africanus; *Naturalem enim obligationem quæ fuiſſet, hoc ipſo ſublatam videri quod peculii partem* (fratris debitoris) *frater* (creditor) *ſit conſecutus.* Idem eſt ac ſi diceret participationem peculii ſuſtuliſſe obligationem naturalem, quæ adquiſitione hereditatis non niſi pro parte confuſa fuerat. *v. ax.* 13. omne enim onus obligationis peculiaris ſequitur peculium, & is apud quem eſt peculium vel in ſolidum vel pro rata ejus quod ex peculio poſſidet tenetur de onere peculii. *l.* 11. §. 4. *l.* 27. §. *ult. l.* 29. *l.* 38. §. *ult. ff. d. Pecul.* hac *l.* §. *quæſitum. v. ax.* 14.

Hæc ut clarius demonſtret ſequentibus argumentis utitur Africanus: *Adeo ut ſi prælegatum filio eidemque id* (i. e. peculium) *fuiſſet, deductio hujus debiti à fratre ex eo fieret.* Vis argumenti eſt, quod, cum onus peculii adeo peculio inſit, ut, etiamſi fratri debetori ſuum pe-

cu-

culium prælegatum à patre fuiſſet, frater tamen creditor deducere poſſit, quod ſibi ex illo peculio debebatur, (peculium enim non intelligitur niſi deductis iis quæ patri fratribuſque naturali ratione debentur. *l.* 9. § 2. *l.* 11. §. 6. *d. Pecul. l.* 30. *pr. d. Act. emp.*) multo magis peculium cum onere tranſeat ad creditorem, parte ejus fratri debitori non prælegata, & ceſſante favore ultimæ voluntatis. Onus autem peculii hac in ſpecie aliter tranſire nequit, niſi ſublata obligatione naturali repetatur ſolutum. Et quaſi hæc rei probandæ non ſufficerent, affert alterum argumentum. *Idque maxime conſequens eſſe ei ſententia quam Julianus probaret : Si extraneo quid debuiſſet & ab eo* (i. e. fratri debitore) *poſt mortem patris exactum eſſet, tantum eum judicio fam. erciſcundæ recepturum à coherede fuiſſe quantum ab his creditor actione peculii conſequi potuiſſet. Igitur etſi re integra fam. erciſc. agatur, ita peculium dividi æquum eſſe, ut ad quantitatem ejus indemnis à coherede præſtetur. Porro eum quem adverſus extraneum defendi oportet longe magis in eo, quod fratri debuiſſet indemnem eſſe præſtandum.* Senſus eſt fratrem ad quem pars ex peculio fratris

debitoris pervenit, teneri defendere & indemnem præſtare fratrem debitorem contra extraneum creditorem peculiarem pro rata peculii quod ad eum ut cohæredem pervenit, atque hoc illud eſt quod ad eum ut coheredem pervenit, atque hoc illud eſt quod Paulus in *l.* 18. §. 5. *ff. fam. erciſ.* ex manifeſta juris ratione confirmat. Quæ ſi ita ſunt, ut certe ſunt, quanto magis frater debitor vel retentionem vel indebiti jam ſoluti condictionem habet, cum ipſe frater qui mutuum dedit, partem peculii fratris, cui mutuum dedit, ſucceſſione accipit? Cujus conſequentiæ ratio haud quaquam obſcura eſt, cum enim, ut diximus, frater teneatur fratrem debitorem pro rata peculii indemnem ſervare contra creditorem extraneum, multo magis cum ipſe creditor eſt, ad id tenebitur contra ſe ipſum; neque enim quis ſalvo pudore detrectaverit in perſona ſua quod præſtat in perſona alterius. *l.* 1. *quod quiſque jur. l.* 31. *mand. l.* 9. §. 5. *l.* 59. *d. Admin. tut. l.* 44. *d. pact. l.* 15. *ſi ſerv. vind.* Summa hæc eſt quod obligatio naturalis non tantum confuſa ſit adquiſitione hereditatis pro parte debitoris, ſed & pro parte creditoris adquiſitione peculii. Atque

que hinc ſi nihil ex peculio fratris debitoris pervenerit ad creditorem, nihil condicere fratrem debitorem poſſe ex eo manifeſtum eſt, quod nulla tum fiat confuſiio, obſtabitque condicenti exceptio, ſi non debitum natura fuit. *l.* 13. *l.* 64. *ff. de cond. indeb.*

Nec eſt quod quis dicat, fruſtra eſſe totam hanc Africani diſſertationem de ſubtilis hujus contributionis ratione, cum utriuſque fratris ſucceſſione univerſum debitum confuſum videatur, quoniam frater creditor cum mutuum dederit etiam habuerit peculium, cujus pars ſucceſſione pervenit ad fratrem debitorem atque ita compenſata videatur. Animadvertendum enim eſt peculii tanquam univerſitatis ſeparatæ ſeparatam rationem eſſe patrem voluiſſe, nec ante obitum ſententiam migraſſe. Sed nec de onere peculii fratris creditoris, cujus pars ſucceſſione ad fratrem debitorem devoluta eſt, conſtat, ut onera utriuſque peculii compenſata eſſe non niſi abſurde dici poſſit. Poſtquam dixiſſet de obligatione inter fratres agit in §. 1. *&* 2. de eo quod pater filiofam. vel filiusfam. patri crediderat, adeoque de naturali obligatione inter patrem & filium. Si itaque pater filio

pecuniam crediderit, & filius deinde emancipatus patri ſolverit, non repetet ſolutum, *ſi nihil ex peculio apud patrem remanſerit.* Ratio eſt, quod tum maneat naturalis obligatio, quæ peculii redditione tolleretur. Quod ut probet argumento eſſe ait, *quod extraneo agente intra annum de peculio* (& ita ablaturo totum peculium) *deduceret pater quod ſibi filius debuiſſet.* Eam enim peculii naturam eſſe ſupra evicimus. *l.* 9. §. 2. *l.* 11. §. 6. *d. pecul.* Idemque juris eſt in caſu contrario ſi filius crediderit patri, isque emancipato filio ſolverit: *Nam hic quoque manere naturalem obligationem, eodem argumento probatur, quod ſi extraneus intra annum de peculio agat, etiam quod pater ei debuiſſet computetur.* Ratio conſequentiæ eſt quia id quod deducitur, computatur, compenſatur, naturaliter debetur. *c. ax.* 3. *Eademque erunt & ſi extraneus heres exheredato filio ſolverit id, quod ei pater debuiſſet.* Idem eſſe ait ſive pater ipſe ſolvat filio emancipato, ſive heres filio exheredato. Notandum autem quod ait, *extraneus heres filio exheredato.* Quoniam tum naturalis obligatio patris ad heredem extraneum tranſmiſſa condictionem ſoluti

impe-

impedit. *l.* 47. *ad SC. Trebell.* alias enim ſi filio coheredi ſolviſſet, pro parte repeteret ſolutum, dum enim & creditor eſt & coheres ſucceditque patri debitori, pro parte confunditur obligatio. *v. ax.* 13. Atque ita expedita eſt difficillima pariter & ſubtiliſſima damnataque Africani diſputatio, qui in §. *ult. h. t.* agit de quæſtione à ſuperioribus prorſus aliena, cui competat indebiti ſoluti condictio, ſi fidejuſſor legati nomine datus ſolverit id quod legatum eſt, deinde autem appareat legatum indebitum fuiſſe? & Africanus condictionem dat fidejuſſori, quod tum verum eſt ſi ſuo nomine ſolvit, ſecus enim eſt ſi ſolvit nomine heredis, cui tum competere condictionem docet Celſus in *l.* 47. *ff. d. cond. ind.*

CAPUT IV.

Lex, Centum Capuæ. 8. *ff. de eo quod cert. loc. dari op. Africanus lib.* 3. *Quæſtionum.*

Et hoc caput ingeniorum omnium hactenus velut quædam crux fuit difficultatem nodo Gordio intricatiorem auget, tum quod hæc lex eum Juriſconſultum auctorem habet cujus dicta oracula ſapiunt: fuit enim & gravis & ſubtilis in ſcribendo Africanus, ut nulla fere ex cxxx. legibus ejus in Pandectas depromptis, quæ non difficilis ſit & perobſcura, unde vulgo veteres: *Africani lex eſt, id eſt, difficilis.* tum reſponſum Pauli in *l.* 54. *ff. locat. cond.* quod ſententiæ Africani contrarium videtur, quod ſi concedimus, manifeſtam admittimus antinomiam, à qua, niſi committere velimus contra majeſtatem Juris Romani, religioſe abſtinendum eſt. Hinc in diverſos & à vero longe alieniſſimas ſententias à Doctoribus itum eſt, adeo ut vel ſeptem diverſas hujus loci explicationes interpretibus extorſerit dicta *Lex*

54.

54. Sed cum una ſit & ſimplex veritas, una tantum ex tam denſa opinionum ſilva vera ſit oportet, quam ut è tenebris eruamus, fac Titium dato fidejuſſore promiſiſſe centum ſtipulanti Mævio. Titius loco convento non ſolvit, alio itaque loco Mævius convenit fidejuſſorem (certum enim eſt fidejuſſorem etiam hac actione conveniri poſſe. *l.* 2. §. 6. *h. t. l.* 49. §. 2. *d. fidejuſſ.* de quo poſtea) actione de eo quod certo loco, quæ datur ei cui ex ſtricti juris judicio certo loco quid debetur, contra debitorem, ad id quod intereſt certo loco ſolutum non eſſe, quæ quovis loco inſtitui poteſt factâ commemoratione ejus loci in quo dari debebat. *l.* 1. *ff. h. t. l. un. C. ubi id quod cert. loc.* Et hoc ſibi volunt verba legis noſtræ: *Ut ſi alibi quam Capuæ petatur arbitrariâ agi debeat.* Quæritur autem an id quod intereſt creditoris dicto loco ſolutum non eſſe, præter ſortem à fidejuſſore peti poſſit? Id quod negat Africanus dum *Nec oportebit*, inquit, *quod forte per reum ſteterit quo minus tota centum Capuæ ſolverentur, obligationem fidejuſſoris augeri.* Idem eſt ac ſi diceret moram rei non augere obligationem fidejuſſoris. Ratio in promptu eſt:

quia mora cuique ſua non alteri nocere debet. *l.* 173. §. 2. *d. R. J.* & obligatio fidejuſſoris eſt ſtricti juris. Unde tanquam conſectarium deducimus, non ante fidejuſſorem conveniri poſſe quam cum & reus *arg. l.* 2. §. 6. *h. t. l.* 73. *ff. d. V. O.* & ipſe in locum conventum venire potuerit. *l.* 49. §. 2. *ff. d. fidejuſſ.* Non obſtat quod cum olim fidejuſſor etiam non interpellato reo conveniri potuerit, hoc quoque in caſu ab moram rei conveniri poſſe videatur, in hac enim quæſtione ponendi ſunt, ut cum DD. loquar, termini habites, & diſtinguendum inter moram ſimplicem, vel, quamcunque emanſionem, ſine quâ fidejuſſorem conveniri non poſſe aſſerimus, & inter moram veram, vel, ſi mavis, fruſtratoriam dilationem, quæ ita à reo abeſſe poteſt, ut tamen fidejuſſor ſit in morâ, nam etiam tum cum reus ex juſtâ cauſâ in dictum locum pervenire non potuit locus eſt huic actioni arbitrariæ. *l.* 1. *ff. h. t.* atque hinc conſtat abuti *lege* 49. §. 1. *ff. d. fidejuſſ.* qui fidejuſſorem ſolum in morâ eſſe poſſe, ubi non concurrat mora rei negant.

Sententiæ Africani moram rei non augere

gere obligationem fidejuſſoris, obſtaret quod dicitur in *l.* 24. §. 1. *ff. d. Uſur.* fidejuſſorem qui fide ſuâ eſſe juſſerat & ſortem & uſuras ob moram rei teneri ad uſuras, adeoque hoc nomine obligationem ejus augeri, niſi huic difficultati proſpiceret ipſe Africanus noſter & diverſiſſimam uſurarum & intereſſe (quod hac actione petitur) rationem eſſe aſſereret, atque adeo perperam ab his ad illud inferri. Ait enim: *Nec oportebit, quod forte per reum ſteterit, quo minus tota centum* (ergo nihil adhuc ſolvit reus) *Capuæ ſolverentur obligationem fidejuſſoris augeri.* (i. e. etiamſi fidejuſſor poſt moram rei acceptus ſit, pleniorem ejus obligationem non fieri quam ſi ante moram acceptus eſſet) *neque enim hæc cauſa* (i. e. hæc ſpecies ut loquitur Ulpianus in *l.* 1. *ff. d. agn. & al. lib.*) *rectè comparabitur obligationi uſurarum, ibi enim duæ ſtipulationes ſunt,* (una ſortis ſcilicet, altera uſurarum) *hic autem una pecuniæ creditæ eſt: circa cujus exſecutionem, æſtimationis ratio arbitrio judicis committitur.* Rem hanc fuiſſe controverſam verba Africani indicant dum accurate reſpondet iis quæ in contrarium adducuntur. Senſus eſt teneri quidem fide-

fidejuſſorem ex morâ rei ad uſuras, ſed tum cum ſe & ſortis & uſurarum nomine obligavit, quo caſu tam uſuræ quam ipſa ſors ab eo, actione ex ſtipulatu peti poſſunt, inde autem non recte induci & inferri eodem modo intereſſe ob moram rei peti poſſe Neque enim intereſſe in ſtipulatum eſt deductum, quare non actione ex ſtipulatu petitur, ſed officio vel arbitrio judicis præſtatur, quæ immane quantum differunt, multum enim intereſſe aliquid ſit in obligatione, an in officio vel arbitrio judicis probant *l.* 58. *pr. ff. ad SC. Treb. pr.* ibi; *uſuræ quæ vel in obligatione vel in officio judicis fuerunt. l.* 54. *ff. locat. l.* 49. §. 1. *ff. d. act. emp. l.* 40. *ff. d. uſur.* ubi Papinianus: *nec quicquid judicis poteſtati permittitur, ſubiicitur juris neceſſitati.* Argumentum differentiæ inter uſuras & intereſſe manifeſtiſſimum affert ipſe Africanus, *ejuſque differentiæ manifeſtiſſimum argumentum eſſe puto, quod ſi poſt moram factam pars pecuniæ ſoluta ſit, & reliquum petatur, officium judicis tale eſſe debeat, ut æſtimet quanti actoris inter ſit, eam duntaxat ſummam, quæ petetur, Capuæ ſolutam eſſe.* id eſt, Sorte ſolutâ amplius peti intereſſe (quod Paulus

lus in *l. ult. ff. h. t. pœnam* vocat) non poteſt, uſuræ autem in ſtipulatum deductæ poſſunt, quod licet ab Africano non exprimatur ſubintelligi tamen debere evincit *l.* 75. §. *pen. d. V. O. l.* 1. *C. d. judic. d. l. ult. in fin. ff. h. t.*

Nec protritum illud & vulgare dictum *mora rei fidejuſſori nocet. l* 88. *l.* 49. *ff. d. V. O. l.* 58. §. 1. *d. fidej.* tanti eſt ut ideo vadimonium deferendum ſit, non enim ſimpliciter ſed cum grano ſalis hæc verba accipienda ſunt, ut mora non ad omnem, nec ad augendæ, ſed ad perpetuandæ obligationis effectum vera ſint, ut videlicet, licet poſt moram principalis res debita perempta ſit, fidejuſſor non liberetur à nexu obligationis, id quod affirmat Paulus in *l.* 58. §. 1. *ff. d. fidej.*

Verum enim vero benè nobiſcum ageretur, ſi hæc eſſet fundi noſtri calamitas, graviores tragædias excitavit *l.* 54. *ff. locat. cond.* Cum enim Africanus uſuras ineſſe in obligatione, neque adeò officio judicis præſtari, & fidejuſſoris obligationem non augeri affirmet, utrumque in *d. l.* negat Paulus. Cui hic fidem habebimus? Utrique: neque enim benè ſubductâ ratione diſſentiunt hi JCti, cum ver-

verſentur in diverſis terminis. Paulus loquitur de judicio b. f., locatione ſcilicet, Africanus de ſtricti juris (ex quo tantum non etiam ex judicio b. f. naſci hanc actionem de eo quod certo loco conſtat. *l.* 2. §. 1. *l.* 7. *ff. neg. geſ.*) in in b. autem fidei judiciis uſuræ ſecundum naturam actionis ſunt adjudicandæ permittente id liberiore judicis in b. f. judiciis poteſtate. Moveri hic poſſet illa difficultas, quod cum fidejuſſio fiat per ſtipulationem, adeoque ſit ſtricti juris, non videatur ob naturam contractus b. f. cui accedit illa ſtipulatio, actio inde competens extendi ſeu variari poſſe: nam fidejuſſor non actione locati ſed actione ex ſtipulatu convenitur. Sed reſpondeo, JCtum in *d. l.* 54. dicere teneri fidejuſſorem, qui acceſſit contractui, ex quo ſecundum naturam actionis uſuræ debentur. *v. l.* 68. §. 1. *ff. d. fidej. l.* 2. §. *pen. ult. ff. d. adminis rer. ad cit.* Deinde Paulus ideo ait fidejuſſorem in uſuras teneri quia omnem conductionis cauſam fidejuſſor fide ſuâ eſſe juſſerat, quo caſu uſuræ à fidejuſſore debentur, non ab moram rei, ſed ex promiſſione, & ſtipulatione, ita ut *d. l.* 54. & ſi quæ ſunt id genus aliæ, ut *l.*

10.

10. *ff. rem pup. ſolv. ſor.* prorſus ad præſentem quæſtionem non faciant, ubi non de ſtipulatione ſed morâ quæritur. Africanus autem de eo fidejuſſore loquitur qui non niſi pro ſorte ſe obſtrinxerat *ibi.enim duæ ſunt ſtipulationes*, inquit, *hic una pecuniæ creditæ*. Præterquam quod cum hæc actio adjectitia qualitas ſit actionis ſtr. juris, uſuras in eam non venire niſi expreſſe in ſtipulatum deductas docent Imp. Severus & Antoninus in *l.* 2. *ff. C. d. uſur.*

Summa huc redit obligationem fidejuſſoris non augeri mora rei, niſi appareat fidejuſſorem etiam ſe vinculo obligationis obſtrinxiſſe nomine ejus quod intereſt. Et in terminanda hac difficillima quæſtione duæ ad partes vocandæ ſunt diſtinctiones. 1. An fidejuſſor ſimpliciter interceſſerit an pro certa quantitate. 2. An acceſſerit contractui, ex quo uſuræ ſecundum naturam acceſſionis debentur, an minus, quæ probantur l. 68. §. 1. *ff. d. fidej. l.* 2. §. *pen. ult. ff. d. Adminiſ. her. ad civit. pr. l.* 5. *C. d. Pact. int. emp. v. Duaren. ad Tit. d. eo quod cer. loc cap.* 4. *Cujac. Tractat. ad African.* 3. *Coraſ. Miſcellan. lib.* 2. *c.* 13. *Bacchov. ad Treutl. vol.* 1. *Diſp.* 23. *Th.*

5.

ſ. *litt.* D. E. Plura de hujus capitis ſenſu adjicere vetat inſtituti ratio, &, niſi fallor, res expedita eſt.

CAPUT V.

Lex, Cum Societas. 69. ff. pro Socio. Ulpianus lib. 32. ad Edictum.

De ſenſu hujus capitis deſperarunt Viri graviſſimi eruditiſſimique, damnataque adeo eſt & inter JCtorum Cruces relata. Nos licet difficillimam eſſe hanc legem fateamur, nondum tamen deſperamus. Verba ſunt Ulpiani in lib. 32. ad Edictum: *Cum ſocietas ad emendum coiretur, & conveniret, ut unus reliquis nundinas (id eſt, epulas) præſtaret, eoſque à negotio dimitteret, ſi eas eis non ſolverit, & pro ſocio & ex vendito cum eo agendum eſt.* Diſcutiamus hanc nubem, & Ulpianum noſtrum ab omni abſurditate liberemus. Primum quod hic Interpretes, exercuit eſt phraſis illa: *Nundinas, id eſt, epulas præſtare.* Nundinas dictas eſſe quaſi novendinas certum eſt: Solebant enim Ruſtici, poſtquam octo die-

diebus opus in agris feciſſent nono quoque die Urbem repetere ad mercatum, ut de legibus certiores fierent, & frequentiore populo ſcita atque conſulta ferrentur, quæ ideo trinundino die, id eſt, tertiis nundinis (tres enim quoque menſe nundinæ habebantur) promulgari mos erat. Hinc Macrobius *l.* 1. *Saturnal. c.* 16. nundinas ruſticorum ferias vocat. Atque hæc, niſi vehementer fallor, extra omnem controverſiæ aleam ſunt poſita, verum *nundinas* ſignificare *epulas* nuſquam ſcriptum pictumve eſt, & tamen in hac lege Ulpianus, quo nemo quiſquam, unum Alfenum ſi excipias, elegantius Latine locutus fuit, ſic explicat verbum *nundinas.* Viri eruditi dum vident hoc verbum illo ſenſu à purioris ævi auctoribus ſic non uſurpari, lectionem hujus capitis ſuſpectam habent & Florentini codicis auctoritatem elevant. Hinc videas alios legere, *Nundinarias epulas*, alios non epulas, ſed *empolas.* Alios *per nundinas epulas*, alios aliter, ſed omnes ſine ratione & meliorum Codd. fide. Nec probamus Hugonis Grotii in Florum Sparſione conjecturam, dum legit IIII. *dianas*, *id eſt*, *quatridianas epulas.* Nobis licet aliorum auctorum teſti-

D mo-

moniis deficiamur, unius Ulpiani ſufficit auctoritas, quem hic improprio dicendi modo & metonymia ſubjecti pro adjuncto uſum fuiſſe exiſtimamus, quomodo non ſemel melioris notæ ſcriptores locutos fuiſſe conſtat. Sic Virgilius dixit *accipere noctem oculis & pectore*, id eſt, ſomnum. Sic Papinius Statius *noctem exturbare* dixit, pro *ſomnum noctis*. Ita enim lib. 10. Thebaid.

Talia vociferans noctem exturbabat, eumque
Non ſecus accenſi proceres &c.

Quod lib. 1. verſ. 420. ſic explicat:

——— *Quisnam implacabilis ardor*
Exturbare odiis tranquilla ſilentia noctis.

Alia exempla in medium proferrem niſi res clara eſſet & certa. Sic hodieque Belgæ dicimus *alicui nundinas vel novum annum dare*, *emere*. Id eſt, munus in nundinis, vel auſpiciis ineunti annis ſtrenæ loco.

Altera intellectu difficilis locutio eſt *a negotio dimittere*. Clariſſ. Salmaſius textui

tui vim infert legitque *ad negotium*, *id eſt*, *negotiandum dimitteret*, ſed fruſtra, ineptum enim eſſet pactum ſocietati ad emendum contractæ adjectum ut unus reliquos ad negotiandum dimitteret, tantumque adeo abeſt ut hæc correctio, quæ nulla MSS. Codd. fide firmatur, faciat ad capitis hujus intellectum, ut genuinum ejus ſenſum corrumpat potius & obſcuret. *Minime ſunt mutanda*, inquit Paulus, *quæ interpretationem certam ſemper habuerunt. l.* 23 *ff. d. legib.* Rectius itaque, ſi quid hic eſt judicii mei, hæc verba: *eoſque à negotio dimitteret*, ita interpretamur quaſi dixiſſet JCtus: ut unus ſocius reliquos liberos atque immunes præſtaret à ſumptu & obligatione epularum quas conſumpſerant, atque ita eos à negotio illo dimitteret, quo ſenſu paſſim accipitur verbum *dimittere*. Ita Gajus *l.* 154. *d. R. J. Creditor qui permittit rem venire pignus dimittit.* Ipſe Ulpianus noſter in *l.* 4. *pr. ff. d. decret. ab ord. fac. Ambitioſa decreta decurionum reſcindi debent, ſive aliquem debitorem dimiſerunt ſive largiti ſunt.* Sic & contra creditores dicuntur dimitti à debitoribus qui ſolverunt & ſe ab obligatione liberarunt.

l. 10. *ff. q. in fraud. cred. l.* 16. *p. pot. in pign. l.* 38 *d. leg.* 3.

Pergit Juriſconſultus: *Si eas eis non ſolverit & pro ſocio & ex vendito cum eo agendum eſt.* Non ſum neſcius Gloſſam, quique eam ſequuntur legere *ex empto.* Quod cum ſit contra Florentini Codicis fidem, nec, quod caput eſt, crucem tollat, cur de lectione certa & recepta vel latum unguem recedamus, nihil eſt. Nec minus falluntur & in certiſſima Juris Rom. principia committunt, qui hic actionem venditi dant ipſis reliquis ſociis contra ſocium qui epulas promiſit: Actionem enim venditi tantum dari venditori contra emptorem dupondiis notum eſt: eſt enim actio in perſonam, utpote nata ex obligatione quam parit contractus emptionis, neque adeo contra aliam quam ex illo contractu obligatam perſonam competit. *l.* 25. *ff. d. obl. & act.* §. 1. *j. d. act.* Neque hic fingi poteſt venditorem ceſſiſſe actionem ſuam ſociis, niſi velimus contra manifeſta legis noſtræ verba loqui, in qua altum de ceſſione illa ſilentium. Alii actionem venditi dant venditori mercium contra ſocium qui epulas promiſit. Alii aliis, ſed ut aliis ſuas opiniones relinquamus, exiſtimamus actionem vendi-

ti

ti hic competere tum venditoribus mercium ad illarum precium, tum venditoribus epularum ad epularum pretium, contra ſocium qui epularum præſtationem in ſe receperat: Ratio eſt quia reliqui ſocii & merces & epulas emendo hunc ſocium obligare potuerunt, ex communi regula quæ docet, ſocium ſocios ære alieno obligare poſſe ſi in arcam communem pecunia verſa ſit, & expreſſe in cauſam ſocietatis credita. *l* 27. *l.* 82. *ff. pro ſoc.* Actionem autem pro ſocio damus ſociis contra ſocium epularum promiſſorem, ad id quod intereſt epulas promiſſas ſolutas præſtitaſque non eſſe, idque vi pacti ſocietati incontinenti adjecti. *l.* 7. §. 5. *ff. d. pact.* quale pactum nec actionem præſcriptis verbis, nec condictionem ex lege parere, ſed formare actionem ex contractu cui adjectum eſt competentem evidentius eſt quam ut probari debeat. *v. l.* 79. *d. act. emp. l.* 4. *d. l. Comm. l.* 6. *d. in diem addic.* Nec putandum eſt quia utraque tam pro ſocio quam ex vendito actio eſt rei perſecutoria. §. 27. *j. d. Action.* una inſtituta alteram conſumi, ut nonnulli credunt abutentes *l.* 43. §. 1. *d. R. J.* & *l.* 57. *ff. eod.* neque enim hæ actiones,

ut diximus, competunt ejuſdem rei nomine, neque eidem perſonæ, quod tamen requiritur ut prohibitus cenſeatur actionum concurſus *d. l.* 43. *l.* 14. §. *pen. ff. d. except. rei jud.* Adeo ut potius hic valeat regula, quoties plures actiones ad diverſas res petendas competunt, alia aliam non conſumit. §. *ult. j. ſi quadrup. panp. fec. l.* 130. *d. R. J. l.* 1. *C. quand. civ. ac. crim. præj.* Sed quid attinet plura dicere ubi ipſe Ulpianus dicit, *& pro ſocio & ex vendito agendum eſt.*

Atque ita omnibus cum ratione ad juris Romani principia atque analogiam exactis nulla ſupereſt difficultas *niſi hæc quod* (ut hic utar verbis Cl. p. m. Viri D. Joh. Frid. Bockelmanni) *nulla ſit difficultas in re quæ viris graviſſimis viſa eſt difficillima*, adeo ut eximius & maximi ingenii ac judicii Juriſconſultus Cujacius ingenii fateatur a quo tempore juri civili operam dare cæpit, nullam ſibi legem viſam hac difficiliorem, nullam ſe diutius torſiſſe quam *h. l. Cum ſocietas.*

C A-

CAPUT VI.

Lex, Periculi pretium, 5. ff. d. Naut. ſœn. Scævola lib. 3. Reſponſorum.

Franciſcus Hottomannus *lib.* 5. *obſ.* 28. adeo ſe ut hujus capitis genuinum ſenſum perciperet, torſit, ut vel 10. correctiones ad partes vocaverit in una nec prolixa nec ita, ut videtur, obſcura *l. periculi pretium.* idque (ſi ita loqui liceat de Coryphæo Juriſconſultorum) non ſine periculo erroris. Videamus an nos pleriſque his emendationibus nuncium mittentes tum lectionem tum rationem hujus capitis defendere & à diſſentientium prævaricatione vindicare poſſimus. Illis quæ ſupra in legis *lecta* interpretatione diximus, & *l.* 3. *C. d. uſur.* conſequens eſt, uſuras ex pacto in ſtr. j. judicis non deberi, cujus regulæ exceptio non tantum eſt, in pacto ſtipulationi adjecto, ſed & in pactis legitimis; quæ lege aliqua ſpeciatim confirmata ſunt, ut vim producendi actionem, quam ante

 te

te non habebant, à jure vel civili vel prætorio accipiant, inter quæ jure merito refertur etiam pactum de pecunia trajectitia ſeu nautico fœnore. *l.* 9. §. 1. *l.* 7. *ff. d. naut. foen.* (quod eſt uſura quæ debetur pro pecuniâ trajectitia, periculo creditoris trans mare vehenda. *t. t. ff. h.*) nec mirum, cum & alia ſingularia & à præſcripto communium regularum aliena in hac uſura obſerventur, ut quod ſors ſit periculo creditoris, ex eo tempore quo navem navigare convenit. *l.* 3. 4. 6. *ff. h.* quod creditor, ut pretium periculi, ſtipulari posſit uſuras centeſimas. *l.* 1. *C. h. t. l.* 26. §. 1. *C. d. uſur.* quæ tamen periculo ceſſante ad uſurarum legitimarum & communem modum rediguntur. *d. l.* 1. *C. l.* 4. *ff. h.* Idque in pecunia trajectitia ſeu nautica tam eſt certum, quam quod certiſſimum, dubitatur autem idemne ob incertum conditionis eventum juris ſit in alia pecunia non trajectitia cujus tamen periculum creditor in ſe ſuſcepit. Id quod non obſcure affirmat Scævola, in l. noſtra, dum *periculi*, inquit, *pretium eſt*, i. e. ut in foenore nautico uſuras maximas ſtipulari licet, ita & in aliis

caſi-

caſibus incertis, in quibus periculi plenus labor exhauriendus eſt, debetur quod ultra legitimum uſurarum modum promiſſum eſt, quod Scævola hic *periculi pretium* vocat, eodem modo quo Tullius, aliique optimæ notæ auctores dixerunt *operæ pretium*, *pretium curæ*, ut ait Plinius. Ita Tacitus dixit *pretium* pro, *opeeæ pretium. l.* 20. *Annal.* & in vita Agricolæ: *Bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebantur.* Fergit Juriſconſultus: *Et ſi conditione quamvis poenali non exiſtente recepturus ſis quod dederis & inſuper aliquid præter pecuniam. Et* dicit pro *etiam* ut teſtatum faceret ſe id quod de nautico foenore certum eſt, producere ad caſus ſimiles, ut videlicet certa conditione ſeu poenali ſeu alia negotio dubii eventus adjecta non exiſtente ſortem cum uſuris gravioribus tanquam periculi pretio recipiat is qui dedit, conditione autem exiſtente damnum ſortis ſuſtineat. *Si modo in aleæ ſpeciem non cadat*: (aleæ enim luſus dum maximi detrimenti, quod inde ſæpe Reſp. incurrebat, cauſa erat, graviſſime & ſeveriſſime prohibitus eſt tum Senatuſconſulto *l.* 3. *d. Aleator.* tum Edicto Prætoris *l.* 1. *pr.* &

§.

§. *ult.* *l.* 2. *ff.* *eod.* tum Conſtitutione Juſtiniani. *l.* *ult.* *C.* *eod.*) *veluti ea ex quibus conditiones naſci ſolent.* Quibus verbis Juriſconſultus docet non alia negotia periculi petium admittere quam quæ in aleæ ſpeciem non cadunt, qualia eſſe ait, ex quibus *conditiones* naſcuntur. Nemo non videt legendum eſſe *condictiones*, i. e. actiones in perſonam. §. 14. *j.* *d.* *action.* conditiones enim non *naſci* ſed *adjici* dicuntur, præterquam quod ipſe Juriſconſultus proponat ſpecies conditionum adjectarum, ex conditionum autem cauſa naſci conditiones non niſi ineptiſſime dici poſſet. Hinc in negotiis quibus adjiciuntur conditiones quæ ab illicito aleæ luſu pendent, periculi pretium vel uſuræ graviores exigi nequeunt, neque enim inde actiones in perſonam naſcuntur. *l.* *ult.* §. 1. *quar.* *rer.* *act.* *non* *det.* *l.* 19. §. *ult.* *d.* *probat.* Ita ut hic non poſſimus facere cum Clariſſimo Salmaſio, qui violentas manus textui inferens legit ſublata negatione, *Si modo in aleæ ſpeciem cadat.*

Ut rem hanc ornationem faciat, & illuſtret JCtus exemplis nonnullis utitur, & primo quidem conditionis pœna-

nalis licitæ. *Ut ſi manumittas, ſi non illud facias*, Cujacius & Hotomannus, ex Baſilicis addunt negationem *ſi non manumittas*, verum nihil obſtat quo minus ſtemus ab antiquâ & receptâ lectione Sed dicat aliquis, non videntur hæc exempla conditionis pœnalis licitæ, quia non videtur periculi pretium eſſe in illis quæ in arbitrium alterius conferuntur. Huic dubio ut ſatisfaciam reſpondeo facile contingere poſſe, ut ſervus forte abſens, vel dominus ipſe præmoriatur, aliudve eveniat quo minus id quod recepimus præſtemus, adeoque ſubeſſe in his caſibus eventum ſatis dubium & incertum. *Si non convaluero & cætera.* Ut dicti caſus fiant evidentiores facTitium Sejo dare centum aureos, ut manumittat, ut aliquid faciat ut ejus cura atque opera reconvaleſcat, ea lege ut ſi manumiſerit, vel fecerit vel ejus cura reconvaluerit Titius, nihil reſtituat. ſin minus reddat quod accepit cum uſuris gravioribus tanquam periculi pretio, ad quas datur Titio condictio ſine cauſa, vel condictio cauſa data cauſa non ſecuta. Hic iterum nobis res eſt cum Clar. Viris Cujacio, & Hottomanno,

tomanno, qui negant condictionem dati competere niſi in eventum contrariæ conditionis *ſi non convaluero*, id eſt, ſi mortuus fuero, atque ita condictionem dant non ipſi danti Titio, ut Scævola noſter, ſed vel heredibus defuncti Titii, vel medico qui morbum curavit. Sed ſine ratione, & lege, imo contra hanc legem. Cum enim JCtus de ipſo dante loquatur non de heredibus (quibus tamen condictionem competere ſi ipſe Titius vivus non egerit ex communibus regulis notum eſt) vel medico, nulla nos vel ratio vel neceſſitas urget ut in l. noſtra ſupponamus agi de eo qui vitio morbove lethali laborat: quid enim ſi ſurdus quis ſit aut mutus, quid ſi pruriginoſus, quartana laborans & medico det ut valetudinem ejus curet? Equidem & his caſibus ſi medicus fruſtra fuerit condictionem ægro dari ad id quod accepit medicus, ut id omne cum uſuris gravioribus reddat certum eſt. Atque hæc quoque ſententia eſt Eximii & Clariſſimi Viri D. Johannes Voet Profeſſoris mei de ſtudiis meis plurimum meriti, cui maximam, quæ eſt in me exigua, juriſperitiæ partem acceptam me

me ferre tum fateor lubens, tum fateri me poſſe ſolide gaudeo.

Dicto exemplo *ſi non convaluero*, non obſtat, quod ibi mera videatur eſſe alea cum tamen JCtus non admittat negotia quæ in aleam cadunt, notandum enim eſt in hac leges per aleam intelligi ejuſmodi incertum eventum, quæ neutrum contrahentium concernit, ut ſi Ludovicus Imperator fuit, ſi hic aut ille uxorem ducat, in hac autem aliiſque ſpeciebus conditiones verſantur circa ipſos contrahentes, eoſque afficiunt & concernunt, quod non tantum in hoc ſed & maxime in illo piſcatoris & athletæ exemplo manifeſtum eſt, *nec dubitabis*, inquit, *ſi piſcatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniæ dederim, ut ſi cæpiſſet redderet: & athletæ, unde ſe exhiberet, exerceretque. ſi viciſſet, redderet.* Exemplum piſcatoris pendere à fortuna certum eſt, non tamen ideo in aleæ ſpeciem cadere nemo negat. De athleta quod dicitur incidit quidem in aleam, ſed honeſtam, ſed licitam, & ex qua naſci condictionem evincit. *l.* 17. §. *ult. præſcr. ver. l.* 57. *l.* 63. *l.* 108. *d. V. O.*

CA-

CAPUT VII.

Lex, Gallus Aquilius 29. ff. d. Lib. & Poſthum. her inſtit. vel exhered.

Scævola lib. 6. Quæſtionum.

In diffuſo & difficillimo hoc capite occupatur JCtus quæſtione illa longe maximi momenti de inſtitutione nepotum aliorumque poſthumorum, quæ quam intricata ſit diſputatio, quam non nodum in ſcirpo quæram, dum in hujus Crucis ſenſum diligentius inquiro, manifeſtum erit inſpicienti ingentem ſuper hac lege commentationum ſilvam Bartoli, Baldi, Jaſonis, Cyni, Caſtrenſis, quique his omnibus palmam ſi non præripiunt certe dubiam faciunt, Antonii Goveani, & Fr. Duareni, quorum nos veſtigia legentes operam quoque noſtram ad loci hujus explicationem conferamus. Auctor formulæ, quam interpretatur Scævola, eſt ille Gallus Aquilius,

lius, cui in diſciplinam ſe tradidiſſe fertur Servius. *l.* 2. §. 43. *ff. de. O. J.* qui Gallum maxime apud populum auctoritatis fuiſſe affirmavit. *d. l.* 2. §. 42. quod facile apud omnes merebitur fidem, cum abſque hoc eſſet vix ac ne vix quidem omnes cives tam arcte ad ſui obſervantiam obligaſſent formulæ ejus; neque enim hac tantum ſed & multis aliis id genus formulis arti juris civilis inſtaurandæ operam dedit, hinc Aquilianæ ſtipulationis formula, hinc actio ſeu formula de dolo, quam *malitiarum omnium everriculum*, vocat Cicero *lib.* 3. *d. nat. Deor.* hinc aliæ originem ſuam debent Aquilio noſtro. Animadvertendum enim eſt, JCtorum veterum munus non ſolum verſatur fuiſſe in reſpondendo de jure nec in interpretando, ſed & maxime in cavendo, & formulis concipiendis, ita ut formularum componendarum gratia ſæpe adirentur Juriſconſulti, ut de A. Cæſeliio refert Valer. Max. *lib.* 7. *cap.* 2. & Cicero *lib.* 1. *de legib. Quamobrem*, inquit, *quo me vocas ut ſtipulationum & judiciorum formulas componam.* Hinc tot cautionum à Juriſconſultis inventarum exempla apud M. Varronem,

ronem, hinc leges ſeu pactiones Manilii qui formulas conſcripſit de quibuscunque contractibus, hinc Quintilianus *lib.* 12. *c.* 3. *Inſt. Orat.* Juriſconſultos formularios vocat & leguleios. Mirum itaque non eſt tum aliis formulis, tum huic longe utiliſſimæ componendæ incubuiſſe Gallum: qui hic legem non tulit, ſed oſtendit; neque enim putandum eſt aut Galli Aquilii aut aliorum ejus tempeſtatis Juriſconſultorum eam fuiſſe poteſtatem, ut leges rogarent, quanquam reſponſis eorum legum auctoritas tributa ſit Conſtitutionibus principum, & præcipue Theodoſii Junioris. §. 8. *j. d. jur. nat. gent. & Civ. l. un. C. Theod. d. Reſponſ. pruden.* Vide Jacobi Rævardi, de auctoritate Prudentium librum ſingularem.

Verum ut, hiſce præmiſſis, ipſi rei tractandæ accingamur, poſthumum, vel ſi quis Grotio, Cujacio, & Ægidio Menagio auctoribus uti malit, poſtumum vocamus eum qui vel proprie poſtumus & eſt & dicitur, qui ſcilicet poſt mortem parentis naſcitur, quaſi poſt humatum patrem natus, (humationem enim vetuſtiſſimum ſepeliendi ritum fuiſſe, ut de aliis taceam, teſtis eſt Tullius *lib.* 2.

d.

d. Legibus, *Ac mihi quidem*, inquit, *antiquiſſimum ſepulturæ genus fuiſſe videtur, quo apud* Xenophontem *Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur.*) vel qui improprie & ſecundum quid, poſthumus dicitur, nimirum quod effectum rumpendi teſtamentum attinet, qualis eſt Vellejanus & Cornelianus, qui capto ab hoſtibus patre in civitate natus eſt *l.* 22. §. *ult. d. captiv. & poſtl. ret.* Quæ poſthumorum ſpecies eum in finem ſunt introductæ, ne liberi vivi adhuc parente teſtatore nati, quales poſt Legem Vellejam de qua poſt, etiam vel inſtituendi vel exheredandi erant, quique jus ſui heredis, quod ante non habebant, poſt factum teſtamentum accipiebant, rumperent teſtamentum inſtar poſthumorum, idque favore teſtamenti cujus major quandoque eſt prærogativa, quam liberorum. *l.* 10. *ff. d. Inoff. teſtam.* Jus autem illud ſui heredis, quod ante non habuimus, acquiritur, vel cum nepos defuncto patre quem tempore facti teſtamenti habebat, proximus & ſuus fit, vel cum filius naturalis poſt factum teſtamentum per legitimationem acqui-

rit jus legitimi & ſui, vel cum extraneus per adoptionem filiusfam. fit & ſuus. §. 1. 2. *j. d. Exhered. liber.* Ut nihil jam dicam de aliis poſthumorum ſignificationibus, veluti quod poſthumus etiam dicatur omnis ex quacunque uxore filius, qui natus nondum eſt *l.* 4. *ff. h. t.* Quodque poſthumi dicantur non tantum primi gradus liberi, ſed & ſecundi & ulterioris, quicunque tempore teſtamenti nati non ſunt, ſive ex nobis liberiſve noſtris, ſeu ex aliis, uc agnatis, cognatis, imo prorſus extraneis & alienis naſcituri, §. 26. *j. d. legat. l.* 6. *ff. d. Inoff. teſtam.* Illud prætereundum non erat, poſthumos alios eſſe alienos, alios ſuos, quod maxime ad præſentem quæſtionem facit. Sui dicuntur qui ſi vero teſtatore naſcerentur, & in poteſtate eſſent teſtatoris, & principem inter heredes locum, primumque à patre in familia gradum occuparent. *v.* §. *pen. j. d. Tut.* §. 2. *j. jus. d. her. qual. & diff.* Alienus autem poſthumus Imperatori in § 1. *j. d. Exher. lib.* dicitur, qui ſi vivo teſtatore naſcitur, ſuus heres, aut proximo à teſtatore gradu futurus non eſt, ſic nepos ex filio natus alienus eſt avo.

avo. *d.* §. 2. *j. d. exher. lib.* 2. *j. d. her. q. ab int.* ſic is qui in utero filiæ teſtatoris eſt. §. *ult. j. d. pat. pot.* ſic qui naſci ſperatur ex uxore filii qui in adoptiva familia eſt. *l.* 1. §. 12. *d. Ventre in poſſ. mitt.*

Inſtitutionem autem poſthumorum quod attinet, de ea tenenda eſt regula: Poſthumos olim heredes inſtitui non potuiſſe. Ratio eſt, quia nondum in rerum natura, adeoque incerti erant (licet quantum ad hereditatem legitimam ſemper pro jam natis adeoque capacibus hereditatis habeantur. *l. pen. d. ſtat. hom. l. pen. d. legat,* 1.) Cum perſonis autem incertis, ut notum eſt, nulla erat teſtamenti factio. §. 27. *j. d. legat.* Ulpian. *in fragm. tit.* 22. §. 3. quia ultima voluntas non videbatur, niſi quæ deliberata animi ſententia ac conſilio teſtatoris facta erat, certo autem ac deliberato conſilio non videbatur facta ubi poſthumi, id eſt, incertæ perſonæ inſtituerentur à teſtatore ignorante an, quales, & quot naſcituri eſſent. Senſim tamen procedente tempore reſtringi cæpit hoc axioma, receptumque eſt, ſuadente id humanitate, ob ſummam

conjunctionem quam habet cum teſtatore, poſthumum ſuum inſtitui poſſe. Dico poſthumum ſuum, non alienum, cui inutiliter legatum fuiſſe affirmat Imper. in §. 26. *j. d. legat. princ. j. d. bon paſſ.* Sed quid eſt quod dicitur in §. 28, *j. d. legat. Poſthumus alienus heres inſtitui & ante poterat, & nunc poteſt.* Ut hunc nodum ſolvamus non legemus cum Alciato, quique eum ſequuntur Bacchovio, & Wiſſembachio, inſerta negatione *non alienus:* nam, præterquam quod hæc conciliatio ſatis confutatur per ſubjectam in *d.* §. exceptionem eſt contra meliorum Codd. fidem, ſed cum communi DD. ſchola, hæc verba: *& ante poterat, & nunc poteſt*, ita accipiemus ac ſi dixiſſet Cæſar: ante poterat jure prætorio, nunc poteſt jure civili: Certum enim eſt prætorem ſuſtinuiſſe inſtitutionem poſthumi alieni eique dediſſe bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas. *l. 6. ff. d. Inoff. teſtam. l. 1. §. 12. d. ven. in poſſ. mit. l. 3. d. bon. poſ. ſec. tabb.* Ratio autem cur in *d.* §. 26. dicatur ante inutiliter legatam fuiſſe poſthumo alieno, eſt, quia Prætoris non erat per bonorum poſſeſſionem proſpicere legatis, uti inſtitutioni. *v. l.*

l. 1. §. 12. *d. ven. in poſ. mit. l.* 6. *ff. d. Inoff. teſtam.*

Verum enimvero hiſce à dicta regula exceptionibus nondum ſatis proſpectum erat ſecuritati teſtantium & teſtamentorum, ſine quibus ne decedant, defunctorum intereſt. *inf. pr. j. d. bon. poſ.* §. 1. *j. quib. manum. non lic. l.* 6. *pr. ff. d. interrogat. in j. l.* 5. *ff. teſtam. quem. aper.* Ulterius itum eſt. Cum enim viderent prudentes poſthumos, qui ante ſui non erant, ſuos ſæpe fieri præmortuo filio, atque ita agnaſcendo contra opinionem avi rumpere teſtamentum, placuit, quo minus id fiat inſtitui poſſe poſthumos nepotes; cum autem de modo quo commode id fieri poſſet laborarent, laborantibus ſuccurrit Aquilius compoſita, ut ſupra diximus, formula, cujus concepta verba hæc ſunt: *Si filius meus, vivo me, morietur, tunc ſi quis mihi ex eo nepos, ſive quæ neptis, poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, heredes ſunto pr. hujus l.* 29 Hæc eſt illa deeantatiſſima formula Galli, qua permittitur nepotum inſtitutio ne nativitate ſua teſtamentum rumpant, non

quod ante Galli tempora poſthumi non potuerint heredes inſtitui, ſed quod non potuerunt ea ratione quam præſcribit Gallus. Diſſ. nonnulli putantes non licuiſſe ante Gallum poſthumos heredes inſtituere, vetitumque id fuiſſe *l.* 12. *tabb.* quam à Gallo, invita licet Juriſprudentia R., quæ nulli Juriſconſulto, nedum Gallo Aquilio hanc auctoritatem dedit, ut aut leges ferrent, aut à majeſtate latas abrogarent, ſublatam aſſerunt. Quod ut probent afferunt *pr. j. d. bon. poſſ.* quæ tamen, ſi res ex vero æſtimetur, ad cautionem Galli prorſus non pertinet; loquitur enim Imper. in *d. pr.* de poſthumo alieno, Aquilii formula de ſuo, nec adeo ad alienum pertinet *pr. hujus l* junct. §. 26. *j. d. leg.* Cui tamen reſponſioni fateor obſtare *l. pen. d. leg.* 1. Quæ tanti momenti eſt, ut & Connanum Virum alioqui judicii minimè contemnendi, fefellerit. Verum, lege penitus inſpecta, facile conſtabit ibi nec de teſtamento, nec de heredum inſtitutione, ſed de legitimis heredibus agi, quos, licet alieni ſint poſthumi, legitimos nobis heredes fieri poſſe, ex Galli ſententia obtinuiſſe affirmat Paulus.

Cui

Cui cum nihil ſani reponi poſſe videant Conanus & alii, vi agunt & *d. l. pen.* inimicas manus inferunt leguntque: *& poſthumo herede inſtituto* &c. quod ut probent ajunt *d. l.* ſumptum eſſe ex *lib.* 4. *ſent. Pauli*, ubi ſic legi putant. Sed hoc falſum eſſe docet inſcriptio legis, lectionis mutationem refutant tum ipſa legis verba, tum ff. Florentinæ. Adeo ut nihil dixiſſe Gallum quod vel pilum à *l.* 12 *tabb.* diſcrepat nedum ut eam abrogarit, certius ſit quam ut pluribus probari debeat.

In §. 1. Legis noſtræ docet Scævola non fuiſſe hanc Galli mentem, ut ad amuſſim & exemplum verborum hujus formulæ omnes inſtitutiones nepotum exigantur, quaſi religio ſit ab jus præſcripto recedere, *ſcire enim leges non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*, inquit Celſus in *l.* 17. *ff. de legib.* ſed poſſe nos in inſtitutione ex verbis ejus vel addere quid vel detrahere. Ita ut e. g valeat inſtitutio nepotis his verbis concepta: Filius meus heres eſto, & ſiquis mihi ex eo nepos naſcetur heres eſto; ſcilicet in caſu quo filius meus me vivo morietur, & hoc ſibi volunt

verba : *Etiamſi non exprimat de morte filii.* Fac. *l.* 37. *d. her. in tit.*

In §. 2. & 3. docet, cum magis conſilii quam verborum Galli ratio habenda ſit, id quod Gallus caverat de nepote producendum eſſe ad pronepotem, & alios, (quod videntur velle verba : *& cætera.* (Cum in illis eadem ſit ratio & utilitas, rumperent enim ſucceſſione teſtamentum. Cujus inſtitutionis tres modi proponuntur à JCto in §. 2. 3. 4. Aut enim pronepos inſtituitur in caſum nepotis adhuc vivi, aut filii vivi, mortui nepotis, aut vivi utriuſque & filii & nepotis, quo tamen caſu ante filium nepos decedat oportet. *Ita ſane*, inquit, *ſi prius nepos, deinde filius decederet : ne ſucceſſione teſtamentum rumperetur.* Si enim prius decederet filius, eique ſuccederet nepos præteritus, rumperetur teſtamentum, ut cautum eſt capite 2. l. Vellejæ, quo rupto certum eſt non valere inſtitutionem pronepotis, cum in teſtamento rupto nihil ſit quod non intercidat, licet ex æquitate bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas accipere poſſit heres in eo ſcriptus *l.* 12. *ff. d. inj. rup. irr.*

In

In §. 5. Verba illa: *Et quid ſi tantum in mortis filii caſum conciperet.* Lego cum Goveano, & Duareno, interrogative, ſecus ac Noricus & vulgatus Codex. Cæterum §. ſenſus eſt poſſe inſtitui poſthumum non ſolum ſub conditione formulæ inſerta: *Si filius morietur*, ſed & ſi deportatus, ſi emancipatus fuerit, adeoque ſi quocunque modo in poteſtate eſſe deſierit. Ratio eſt, quia inſtitutio confertur in eum caſum quo nihil obſtat nepoti quo minus naſcatur ſuus: nam & emancipatione & deportatione, quæ mors civilis dicitur & naturali comparatur. *l.* 63. §. 10. *pro ſoc. l.* 59. §. 2. *ſol. mat. l.* 209. *d. R. J.* æque de medio ſubducitur filius ac morte, nec ſuus manet cum proximum in poteſtate teſtatoris gradum amittat, ut pote amiſſo jure familiæ: Idque *ex ſententia l. Velejæ*, cujus verba latiſſime patere docet Scævola. Verum cum lex Vellea permittat inſtituere poſthumos naſcituros vivo teſtatore, Galli vero formula naſcituros poſt mortem teſtatoris, quomodo Scævola potuit dicere in cautione Galli alios caſus ſupplendos eſſe ex ſententia l.

E 5 Vel-

Vellejæ? Hæc difficultas tanta tamque intricata viſa eſt Goveano, ut verba illa: *legis Vellejæ* tanquam ſpuria imperito interpreti imputet. Nobis ſatius videtur dicere, cum l. Vellea lata ſit poſt conceptam ab Aquilio formulam, veroſimile eſſe Velleum d. l. auctorem hos caſus etiam ad inſtitutionem poſthumorum, de quibus in cautione Galli, pertinere voluiſſe.

In §. 6. Quæritur, ſi filius teſtatoris, jam mortui, deceſſerit apud hoſtes, quid juris ſit? & certum eſt in hac ſpecie nepotem poſtea natum rumpere teſtamentum, etiamſi is ſecundum cautionem Galli inſtitutus fuerit, ea enim expreſſum tantum eſt de caſu quo filius vivo teſtatore deceſſerit. Equidem Gallus non *induxit* (ita enim lego pro *induxere*) quo minus nepos poſt mortem qui naſceretur (ita lego pro *avi*, ſecutus, æditionem Noricam; cæterum non videntur à vero aberrare qui conjuncta utraque dictione legunt: *poſt mortem avi qui naſceretur.*) teſtamentum rumpat, cum filius ex fictione l. Corneliæ ipſo captivitatis momento deceſſiſſe intelligatur, & cur non induxerit

rit quærit JCtus, nec ſine ratione, *cum hic caſus ad legem Velleam non pertineat.* Scævola motus *utilitate*, i. e. æquitate, ſeu æquo & bono: (quo ſenſu paſſim in jure hoc verbum accipitur) publice enim intereſt ſuprema hominum judicia exitum habere. *l. 5. Teſt. quem. aper.* ut huic incommodo proſpiceret, reſpondet conſilium Galli fuiſſe, ut nepos in omnem caſum quo ſuus naſciturus eſſet & rupturus teſtamentum, recte inſtitui posſit, *præſertim*, inquit, *poſt l. Velleam quæ & multos caſus rumpendi abſtulit.*

In §. 7. Species talis eſt. Fac Titium habere filium, filium hunc uxorem ducere, uxorem jam nurum Titii, prægnantem captam eſſe ab hoſtibus. Titius condit teſtamentum, inſtituitque nepotem ex filio naſciturum, nepos vivo teſtatore Titio naſcitur apud hoſtes, Titius moritur, nepos à morte teſtatoris poſtliminio ab hoſtibus revertitur, quæritur an hic caſus pertineat ad cautionem Galli, an ad l. Velleam Si facti veritatem in conſilium adhibeas diceres pertinere ad l. Velleam, natus enim eſt poſthumus vivo teſtatore. Contra ad cautionem Galli referas ſi conſideres

deres natum quidem fuiſſe vivo teſtatore, ſed non ſuum utpote in hoſtium poteſtate. Rurſus legi Vellejæ tribuas, ſi Ulpianum conſulas in *l.* 16. *ff. d. Captiv. & Poſtl. rev.* dicentem: *Retro-creditur in civitate fuiſſe qui ab hoſtibus advenit*, hinc enim efficitur nepotem reverſum ſemper in avi poteſtate fuiſſe. Cæterum nullius aut exigui momenti eſſe hanc ſubtilitatem, utpote curioſam magis quam utilem judicat ipſe Scævola. *Sed cum teſtamentum*, (verba ſunt JCti) *ab eo non rumpitur* (inſtitutus enim erat, non præteritus) *nihil refert utrum ex jure antiquo, an ex l. Vellea excludatur.*

In §. 8. Caſus difficilis eſt, & eo intricatior quod Scævola verbis admodum dubiis & incertis ſententiam ſuam exprimat. Res tamen huc redit. e. g. Sempronius ex filii ſui Caji uxore prægnante ſperat nepotem, & ex nepote pronepotem. Heredem inſtituit filium ex præſcripto formulæ Aquilianæ, ut ſi filius moriatur pronepos heres ſit, præterito nepote naſcituro. Poſt teſtamentum Sempronio naſcitur nepos ex Cajo filio herede inſtituto, qui tum adhuc in vivis erat.

Ex

Ex hujus nepotis uxore concipitur Sempronio pronepos. Tum decedit Sempronius cum nepote, patre nimirum pronepotis naſcituri, poſtea decedit Cajus Sempronii filius, avus pronepotis naſcituri. Hiſce fato functis naſcitur pronepos à proavo Sempronio heres inſtitutus; Quæritur an valeat inſtitutio pronepotis cum nepos præteritus ſit? Id quod rectè affirmat Scævola: naſcitur enim pronepos in ſpecie hujus §. ſuus, &, ut diximus, poſt mortem teſtatoris: adeoque nec ei obſtat non facta patris ſui, nepotis ſcilicet, inſtitutio: neque enim hic præteritione nepotis rumpitur teſtamentum, cum enim ante patrem ſuum, filium ſcilicet teſtatoris, in fata conceſſerit nepos, nullo unquam tempore in primo gradu adeoque nec ſuus fuit. Contra in pronepote qui mortuo primum proavo teſtatore, tum patre, deinde avo, naſcitur.

Verba hujus §. *deinde ex eo concipiatur*, ſic interpretor, deinde pronepos ex nepote concipiatur. *Vivo patre*, ita recte legit Lælius Taurellius ex Pand. Flor. Editio vero Norica, cui conſentiunt, multi veteres Codd., legit, *mortuo*

tuo patre. *Iſque*, id eſt, pronepos. *Avo*, id eſt, filio teſtatoris, qui avus eſt pronepotis, non ipſo teſtatore.

In §. 9. nihil aliud dicitur quam pronepotem, ſi ſuccedat in locum nepotis, adoptari poſſe, non ſecus ac docet *Imp. in* §. *6. j. d. Adopt.*

In §. 10. Docet JCtus in omnibus ſpeciebus, quibus nepotem poſthumum ex formula Galli inſtitui poſſe dictum eſt, requiri ut filius ex aliqua, licet minima parte heres ſit inſtitutus. Nam, ut hoc demonſtrem, filius non inſtitutus aut præteritus erit aut exheredatus. Si præteritus, teſtamentum ipſo jure nullum erit. *l.* 17. *d. juj. rup. l.* 39. *ff. h. t.* Si injuſte exheredatus, habet querelam ad teſtamentum, ut inofficioſum, reſcindendum. *v. pr. j. d. proff. teſt. l.* 3. 4. *ff. eod.* Hiſce obſtare videretur, quod in omni teſtamento ſufficiat filium inſtituere vel nominatim exheredare. *pr. j. d. Exhered. lib.* niſi ratio dictorum Scævolæ manifeſta eſſet, quod abſurdum eſſet filium exheredare poſt mortem ſuam: poſthumus autem inſtitutus non poſſit adire hereditatem niſi filio mortuo, ut autem valeat exhereda-

redatio adita ſit hereditas ab herede inſtituto oportet. *l.* 20. *pr. verſ. ſed cum ff. d. bon. poſſ. con. tabb.*

Nunc in §. 11. cum JCto de Lege Juliâ vel Juniâ Velleâ videamus, quæ nomen accepit non à JCto aliquo, ut formula Galli, ſed à legiſlatore quodam Velleo, neque enim aliter lex dici potuiſſet, cujus tamen quis lator fuerit, quo tempore rogata ſit nondum, fateor, exploratum habeo. Vult autem hæc lex *vivis nobis natos ſimilitér non rumpere teſtamentum*, quibus verbis Vellejus proſpexit nepotibus naſcituris vivo teſtatore, cum Gallus tantum proſpexerit naſcituris poſt defunctum teſtatorem. Licet enim nepotibus, vivis avis poſt teſtamentum natis conſuli potuerit vel novo teſtamento condendo vel priori mutando, quia tamen teſtator non omni loco & tempore copiam teſtium civium Romanorum, cæterarumque ſolennitatum habere poterat Lege Vellea opus fuit. Atque hæc eſt vera hujus legis ferendæ ratio.

Legis autem Velleæ duo ſunt capita. Primo permiſſa eſt eorum inſtitutio, qui vivis nobis ſui naſcituri ſunt poſt

teſta-

teſtamentum. Requiſitum itaque capitis primi eſt, ut vivo teſtatori naſcantur ſui. Unde nihil refert quo tempore inſtituantur, aliquis eos antecedat an minus; *quid enim neceſſe eſt*, inquit Scævola, *tempus teſtamenti faciendi inſpici, cum ſatis ſit obſervari id tempus quo naſcitur.* Qui ſenſus eſt §. 11. & 12. Verba nonnulla capitis primi L. Velleæ occurrunt in fine *d.* §. 12. cætera nobis invidit temporis injuria, quæ ut ſupplere aut inveſtigare omnia haud ita facile eſt, ita, quo ſenſus conſtet, aut hæc aut ſimilia verba ſubjungenda videntur, *inſtituendi poteſtatem habeto*, certe multa hic deſiderari vel ex eo conſtat quod nihil expreſſum ſit de iis qui vivo teſtatore ſui naſcituri ſunt, cum tamen Scævola doceat de his legem latam fuiſſe. Secundum caput L. Velleæ pertinet ad nepotes, jam vivo teſtatore tempore facti teſtamenti natos, cavetque ne ſuccedentes in locum ſui heredis quaſi agnaſcendo rumpant teſtamentum in quo ipſi vel inſtituti vel exheredati ſunt, non autem permittit inſtitui nepotes, neque enim id ante L. Velleam prohibitum erat. §. 15. *verb. poſteriore capite &c. hujus L.* quan-

quanquam improprie dici poſſint nepotes in ſecundo capite inſtituti quatenus teſtamentum, in quo inſtituti erant, agnaſcendo non rumpunt. Verba capitis ſecundi hæc ſuperſunt: *Si quis ex ſuis heredibus ſuus eſſe deſierit*, ſubaudi: vivo teſtatore, tunc nepos mihi heres eſto; ut facile intelligere eſt ex cæteris §§. & *l.* 13. *d. injuſt. rupt.* aliisque, atque hæc ſententia eſt §. 13.

In §. 14. quæritur an, ſi is qui filium apud hoſtes habet, nepotem ex eo inſtituat ex capite 2. L. Velleæ, filius autem poſt mortem teſtatoris apud hoſtes decedat, nepos ſuccedendo rumpat teſtamentum? quod negat JCtus: deſiit enim filius vivo patre ſuus heres eſſe; nam quamvis maxime poſt mortem patris apud hoſtes deceſſerit, fingitur tamen primo captivitatis momento, adeoque vivo teſtatore deceſſiſſe. *l.* 18. *ff. d. Captiv.* & *poſtl. l.* 12. *q. teſt. fac.*

In §. 15., & L. *Gallus* ultimo, explicandus nobis reſtat caſus quem ipſe Scævola difficilem vocat. Nimirum: teſtator inſtituit nepotem ex filio naſciturum, nepos vivo teſtatore & patre ſuo naſcitur, ſtatimque ante mortem teſtatoris filius decedit, qui caſus ideo difficilis eſt, quia nec ad Aquilii formulam, quippe quæ

F de

de iis tantum cavet qui ſui naſcuntur, nec ad alterutrum L. Velleæ caput pertinet; non ad primum: quia nepos in hac ſpecie non naſcitur ſuus. Non ad ſecundum quia id concernit tantum poſthumos jam tempore facti teſtamenti natos. Ut tamen & hic conſulatur conſervationi teſtamentorum placuit ex ſententia Juliani Juriſconſulti duobus capitibus L. Velleæ commixtis, ita, ut unum interpretationem recipiat ex altero, in hac ſpecie inſtitui poſſe nepotem ne rumpat teſtamentum. Pertinet enim quodammodo hic caſus ad caput L. Velleæ primum, quia nepos hic naſcitur vivo teſtatore, licet non ſuus; nec minus ad ſecundum, quia natus eſt tempore vivi patris, in cujus locum ſuccedit. Sed recepta jam Juliani ſententia porro quæritur, an nepos in dicta ſpecie ſi ab avo emancipatus in defuncti patris locum ſuccedat, futurus ſit heres ſuus an extraneus? Et cum ob emancipationem ſuus eſſe non poſſit, ſecundum analogiam & principia juris reſpondet Scævola nepotem non ſuum, ſed extraneum vel voluntarium heredem avo futurum, nec impedimento eſſe ſtatus mutationem quo minus heres fiat; licet enim nepos heres inſtitui ſoleat ne ſuus poſtea factus teſtamentum rumpat, id autem in eman-

emancipato metuendum non ſit, abſurdum tamen eſſet præſumere avum inſuper habita cura de conſervatione teſtamenti pietate ductum inſtituturum nepotem non fuiſſe, id enim ſi apud animum ſuum conſtituiſſet, facile eum nominatum exheredare potuiſſet. Hæc nobis propiora vero videntur, alii aliter, pro captu quisque ſuo conciliant, ut hic tot fere ſententias & diſcrepantium DD. opiniones invenias quot capita.

Et tantum de difficillima L. Gallus, cæterisque Crucibus JCtorum, in quarum interpretatione ſi quos forte, ut humanum eſt falli, errores erravi, quod tamen vix credo certe non ſpero, facile me veniam impetraturum confido ab æquis laboris noſtri arbitris, qui norunt ſæpe graviſſimis auctoribus, & quævis præclara de Majeſtate legum Rom. in priſcam dignitatem reſtituenda meritis; Cujacio, Duareno, Donello, Alciato, Goveano, Fabro, at quantis viris? aliisque quorum etiam errores docti ſunt, hic aquam hærere. Si Deus Opt. Max., cui hæc qualiacunque accepta fero, ingenium, vires, ætatemque nobis ſuffecerit, promittimus his meliora magisque exaſciata.

F I N I S.

CATALOGUS
LIBRORUM JURIDICORUM
Qui apud CORNELIUM DE PECKER *impreſſi ſunt, & venales proſtant.*

Averanii (J.) Interpretationum Juris Libri Quinque, 3 voll. 8. Lugd. Bat. 1753

Briſſonii (Barnab.) Opuſcula Omnia Minora Cont. Antiq. Selectarum Libros IV. de Solutionibus & Liberationibus Libros III. ad Legem Juliam de Adulteriis. de Spectaculis & Feriis. de Ritu Nuptiarum. de Jure Connubiorum. Parerga Juris Civilis. de Regno Perſarum. Notas Perpetuas adjecit A. D. Trekell J. C. in Folio, L. Bat. 1749

Majanſii (Greg.) Diſputationes Juris, in quibus Multa Juris Civilis Aliorumque Scriptorum Veterum loca Explicantur & Illuſtrantur, 2 voll. 4. Lugd. Bat. 1752

J. Richei Vindiciæ Prætoris Romani & Juris Honorarii, 8. Lugd. Bat. 1748

Schultingii Theſes Controverſæ, 8. L. B. 1738

Broman (P.) Tractaat de Foro Competenti of Dagelykſe Onderhorige Vierſchaar / verklarende wat de pligt is van den Regter / Advocaat en Procureur met de Noten van Middelant / 4. Leyde 1736

Verhandeling over het Oeffenen der Regtsplegingen ſoo als deſelve voor en onder de Graven is in Gebruik geweeſt. Waarin veele byzonderheden gevonden worden / dienende tot opheldering der Vaderlandſche Oudheden en Geſchiedeniſſen / als de Oorſprong en eerſte aanſtelling der Dykgraven, Heemraden, Welboorne Mannen, &c. &c. 8. Leyde 1750

ANT 1318930

Digitized by Google